



Handwritten scribbles

Handwritten: Namen.

Handwritten: R.



Handwritten: 111

Handwritten: 1200



PARODIÆ 2

IN

LIBROS

ODARUM ET EPODON
Q. HORATII FLACCI RE-
BUS SACRIS MAXIMAM
PARTEM ACCOM-
MODATÆ

à

M. DAVIDE HOPPIO,
Coslin. Pomer. Scholæ Palæopoli-
tanæ Regii-Borufforum-mon-
tis Pro-Rectore.

*Adjecta est in fine Saturæ
ad primæ Juvenalis imitationem in
juventutis scholasticæ improbita-
tem conscripta.*

Accesserunt etiam Parodiæ ali-
quot M. Justini Pertuchii, Gymnasii
Portensis Rectoris meritissimi, ut & Henrici
Meibomii Prof. in Acad. Julia
celeberrimi.

In Zoilum


Zoile, dum carpis mutatum carmen Horati,
Morus es; hoc melius confice Mimus eris.

✻ (o) ✻

BRUNSVIGÆ,

Typis ac sumtibus Christophori
Friderici Zilligeri.

ANNO M DC XC.



Ad omnes divinæ poëseos
cultores; fautores & amatores
μεσοφώνοις Aucto-
ris,

O Musis addicta cohors,
si versibus ullis
Gaudes, & lectu carmi-
na digna putas,
Accipe, quæ scripsi mutato
carmina sensu &
Quos feci Flacci more so-
nare modos.
Accipe non tetrico vultu sed
fronte serenâ,
Siq; placent, studiis perge
favere meis.

M. D. H.



Amplissimis, Spectatissimis & Prudentissimis

VIRIS

DN. Consuli, Proconsuli
& cæteris Senatoribus Reipub. Re-
giom. veteroppidanæ consultissimis,
Dominis Patronis & fautoribus suis sum-
mâ observantiâ colendis

S. D.

Poësin & poetas summo o-
lim in pretio, magnaq; existimatio-
ne fuisse, testantur non solum præ-
clara veterum & recentiorum viro-
rum sapientum de Poëtica & poetis elogia; ve-
rum idem quoq; multorum Imperatorum, Re-
gum & Principum, qui non modo Poëtas ma-
gnificerunt, sed ipsi quoq; studio poëtico dedi-
ti fuerunt, sed & in Poëtas magna præmia con-
tulerunt, evincunt exempla. *Poetica*, teste Stra-
bone, antiquis dicta fuit prima quadam Philoso-
sophia, qua nos à pueris ad vitam instituat, & cū
Voluptate doceat, cujusmodi mores & affectus
& actiones nostras esse conveniat. Hinc Græci
Poëtam solum sapientem esse perhibuerunt, ob
eamq; rem civitates Græcia pueros primum o-
mnium in Poëtis erudierunt, non tantum oble-
tationis gratiâ, sed ut prudentia modestiq;
præceptis imbuerentur. Hinc etiam Plato Phi-
losophorum ille Deus, Poëtas vocat *Duces* &
Patres sapientia, *Virtutum genitores*, *Deo-
rum interpretes* & *filios*. Melanchthon Po-
ësin nuncupat *florem* & *thesaurum eruditionis*,
magistram vitæ & *formam ricem lingue*. Aucto-
ritatem Poëtarum apud Reges & Principes non
solum Ovidius in hisce versiculis astruit:

*Cura Ducum fuerant olim Regumq; poëta,
 Premiag; antiqui magna tulere chori:
 Sanctaq; majestas Et erat venerabile nomen
 Vatibus, Et largè saepe dabantur opes.*

Verùm eandem quoque Imperatores & Principes celeberrimi suo erga poëtas & poësin affectu satis superq; asseruerunt, & confirmarunt. Homeri carmina Alexander M. quotidie etiam inter arma legit & dormiturus cervicali supposit: imò cum ex præda Darii scrinium ex auro, gemmis & margaritis fabrefactum ipsi afferretur, ei Homeri libros ut pretiosissimum humani animi opus inclusit.

*Ennius (teste Ovidio) emeruit Calabris in
 montibus ortus*

Contiguus poni, Scipio magne, tibi.

Virgilius & Horatius apud Augustum & Mæcenatem in summa fuerunt dignitate. Senecam & Lucanum Nero in primis annis magnificavit. Statius & Martialis Domitiano fuerunt amicissimi, &c.

Præterea summi quoq; Imperatores & Principes studio Poëtico invigilarunt & carmina scripserunt. Augustum poëtam fuisse ingeniosissimum probarunt ipsius *Sicilia, Achilles, Venus* aliaq; poëmata, quorum historici mentionem faciunt, sed quæ temporum injuria nobis invidit. Tiberius & Nero, licet vitæ fuerint profligatissimæ, Poëtas tamen foverunt & posterior carmina libenter ac sine labore composuit. Qualem venæ poëticæ facilitatem Tito quoque fuisse scriptores memorant. Imperatoris Claudii oblivionem & inconsiderantiam Historici quidem reprehendunt; mirantur tamen in eo quoq; amorem & studium Homeri, quem adeo familiarem sibi reddiderat, ut quavis occasione cum memoriter recitare posset. Hadrianum Imperatorem in Poësi non leviter fuisse versatum, testantur ipsius versiculi, quos ex tempore Poëtæ Flori versiculis, opposuit, quosque in ipso vitæ agone ad animulam suam effu-

effudit. De Juliano scribitur, quod non minus bonus poëta, quam miles fuerit. Imò primum illum magnum Germanorum Imperatorem Carolum, non modò poëtas & doctos viros amasse; verum ipsum quoque non parvam Latinæ poëseos habuisse cognitionem, Epicedium in mortem Rolandi ab ipso decantatum demonstrat. Nec minor olim Magnatum erga poëtas munificentia, quam favor & amor fuit. Virgilius cum coram Augusto & ipsius sorore Octavia librum sextum Æneidos recitaret, & versus illos de filio Octaviæ Marcello attingeret, illa deliquium animi passa est, & deinde refocillata pro singulis versibus (sunt autem numero sex & viginti) dena sestertia, quorum summa quinquies mille aureos longè excedit, poëtae numerari iussit.

Alexander M. licet Homeri Therites quam Chærii non admodum boni poëtae Hætor esse mallet, tamen ut alios ad scribendum invitaret, singulos versus Chærii Philippeo nummo redemit. Oppianus poëta Græcus à Severo Imperatore cui poemata sua de Piscibus & venatione exhibuit, pro quolibet versu aureum numisma accepit, quæ munificentia tantam hominibus excitavit admirationem, ut postea Oppiani carmina dicta sunt aurea.

Quo verò plus dignitatis & celebritatis poësis olim habuit, eo minus ipsi postea barbarie sub Papatu ingruente, remansit. Nam uti Zvvingerus in Theatro suo refert, ætate Francisci Petrarchæ poëticum nomen ita exosum fuit, ut ille qui studia poëtica sequebatur, *magus, sacrilegus, Hæreticus* diceretur.

Revixit autem iterum per DEI gratiam, & cum reliquis humanitatis studiis non solum Italiæ; sed etiam cum puritate doctrinæ cœlestis restituta quoque est Germaniæ poësis: Siquidem præterlapsum seculum fuit felicissimū & Poëtarum feracissimum. Præter Philippum enim (cujus ingenium magnum & ad omnia

comparatum ex poematis quibusdam intelligit & colligit Julius Cæsar Scaliger, ipse poeta ingeniosissimus, & Poëtarum censor acerrimus) Germania præclaros habuit poëtas, Eobanum, Camerarium, Sabinum, Steigelium, Lotichium, Melissum, Taubmannum, &c.

Inter illos autem reperti etiam sunt, qui in Veteres poëtas Parodias scripserunt, & verbis, quantum fieri potuit, servatis alias materias elaborare cœperunt. Horum exemplo excitatus ego quoque ante annos aliquot partim exercitii gratia, partim ut Discipulis meis, quibus aliquot Horatii odas tunc explicabam, usum illarum eò melius ostenderem, in primum & secundum librum Carminum Horatii Parodias scripsi & rebus sacris maximam partem accommodavi; Ex reliquis verò libris, quando à laboribus meis scholasticis tantum respirare potui, per decennium istud, quo in schola vestra Palæopolitana, *Viri Amplissimi, Prudentissimi, Consultissimi*, Poëtarum explicatio mihi commendata fuit, modò hanc, modò aliam composui, donec tandem ad finem omnes perduxi, easque jam, uti hic videntur, publici juris feci. Etsi autem prævidi, me multorum Aristarchorum sinistra judicicia incursum, qui forsitan improbabant, quod post Homerum Iliadia, & tot doctorum virorum in Horatium labores, scribere voluerim; tamen juventutis scholasticæ, cui unice inservire, & viam præire volui commodum, tum etiam virorum quorundam doctorum incitamentum, sinistris iniquiorum judiciis prætuli. Alias meo modulo ac pede me metior & nomen Poëtae mihi sanctum & venerabile est, nulloque pacto mihi vindicare possum; interim nomen Studiosi poëseos affecto; ideoque potius aliorum poetarum, & inprimis Horatii vestigia legere, illiusq; verba, ubi fieri potuit, mutatis rebus retinere, quam proprio Marte & ductu aliquid scribere placuit.

Co-

Cogitanti autem mihi, cui Parodias ha-
 ſee inſcriberem & ſub cujus Patrocinio contra
 malevolorum morſus latitare poſſent, veſter
Patres hujus urbi ſigilantiſſimi, in Muſas Mu-
 ſarumq; cultores favor, & inprimis in ſcholam
 ſcholæque veſtræ collegas munificentia, auctor
 fuit, ut nemini quam Vobis eas nuncuparem
 & dedicarem. Accipite igitur hoc qualecunq;
 opuſculum ſerenâ fronte, boni conſulite, meis
 ſtudiis favete, inque Reipubl. & Urbis hujus
 ornamentum, incrementum & emolumentum
 diu ſalvi & incolumes vivite, florete, valete.
 Scribebam Regiomonti Anno 1634. die 24.
 Maij.

V. Ampl. & Prud.
observantisſimus

M. DAVID HOPPIUS.

✻ 8 ✻

LIBRI PRIMI CARMINUM
Q. HORATII.

PARODIA I. ad Christum.

Alios aliis, auctorem delectari
rebus sacris.

Jesu Rex, atavis nate potentibus,
O & Præsidium, & svave decus meum;
Sunt, quos assiduè docta volumina
Pervolvisse juvat: Tempus & optimis
Impensum studiis, ars quoque nobilis
Musarum sobolem provehit ad Deos.
Hunc, si nobilium nomina Principum
Possit perpetuis condere versibus:
Illum, si propriâ condidit arculâ,
Quicquid colligitur mercibus ex malis,
Gaudentem patrios fundere sacculo
Nummos, egregiis vix rationibus
Unquam permoveas, ut fugiens gulam
Frugalis placitis abstineat cibus,
Fumantem facibus perpetuis domum
Ægrotus metuens, pectore supplici
Fundit vota DEO: mox redit ad suos.
Mores, indocilis mente Deum sequi.
Est qui perpetuæ secula gloriæ
Et partem solidi quærere gaudii
Spernit, nunc Veneris delitias sequens
Blandas, nunc vitiis deditus improbis.
Multis metra juvant & hominum lyra
Permistus sonitus, flaque matribus
Non ingrata. Volat per mare frigidum
Mercator Pelagi non memor horridi:
Seu visa est oculis terra vagantibus
Seu portum subiit quassa iterum ratis.
Me sacrorum animarum pagina fontium
Et miscet superis: me Domini favor
Sanctorumque piæ cum gemitu preces
Confirmant dubium: si neque subtrahit
Flamen suppetias, nec stabilis Fides

Pro.

Promissam refugit prèndere gratiam.
 Quod cum me superis cœtibus inseres,
 Sublime usque canam carmine gloriam.

PARODIA II. ad Christum.

Clades multæ piorum unam salutis spem in
 Christi ad iudicium adventu esse.

JAm fatis terris famis, atque diri
 Prælii misit Deus; & furente
 Peste mortales perimens caducos

Terruit orbem:

Terruit sanctos mala ne redirent
 Secla Davidis sua facta questi,
 Stare cum vidit rutilum vibrantem

Aligerum ensem.

Subditi & tristi cecidêre tabo,
 Qui modò vitæ fuerant capaces,
 Et superjecto licuit videre

Pulvere busta.

Vidimus pestem rabidam insolenti
 Prussicâ terrâ violenter ausu
 Ire dejectum juvenes decoros,

Et seniores.

Criminis dum se scelerisque nostri
 Iactat ultorem, furit atque ab urbe
 Alterâ serpit (Domino jubente)

Alteram ad urbem.

Audient, reges acuisse ferrum.
 Quo graves Turcæ melius perirent.
 Subditos movisse suis Dynastis

Bella, nepotes.

Quo vocet Numen pia gens ruente
 Iure divino? prece qua fatigent
 Præsules sacri minus audientem

Vota Iehovam.

Cui dabit partes scelus expiandi
 Rex poli? tandem venias, precamur
 Nube divinos humeros amictus,

Arbiter æque.

Et tuum IESU, pie Sospitator,
 Quem volat circum bonitas & æquum,

A a s

Vile

Vile & oppressum genus, & dolores
 Respice nostros,
 Nos sumus plagis satiati acerbis,
 Nunc juvat pax alma, polique dulce
 Gaudium, nostrumque Deum perennis
 Vultus in unum,
 Ergo mutatâ placidi figurâ
 Iudicis, contra pietatis hostes
 Excitabilem, patiens, vocari
 Criminis ultor.
 Christe, de cœlo redeas, tuoque
 Dexter intersis populo fideli:
 Neve te nobis scelus ob nefandum
 Subtrahe prorsus.
 Sic canet magnos pia gens triumphos,
 Sic eris noster Pater atque Princeps,
 Nec fines hostes dominari inultos
 Te Duce IESU.

PARODIA III.

*Ad Dn. Adrianum Langerfeldum & Sophiam
 Varenheits, Sponsos.*

Sic te IhoVa potens poli
 Sic fraterque hominum, Patre Deo satus,
 Tædarumque, regat Pater,
 Semotis Satanae fraudibus & dolis,
Langrfeldi sociam tori
 Qui ducis *Sophiam*: fidere prospero
 Intres conjugium, precor
 Et serves animæ dimidium tuæ.
 Illi sacrilegum scelus
 Intra pectus erat, qui sine conjuge
 Iussit vivere cœlibem
 Primus, nec timuit maxima scandala
 Ex lege hac venientia,
 Nec flammæ Veneris, nec meretriciam
 Vitam, quâ neque floridæ
 Pubis pernicies ulla nocentior.
 Quam poenam timuit Dei
 Qui pravis oculis scorta procacia,
 Qui vidit licitæ viæ

Infames scopulos Thaida, Laida?
 Nec quicquam instituit Deus
 Prudens conjugium non resolubile,
 Clerus si tamen impius
 Non solvenda tori vincula distrahit,
 Audax omnia vertere
 Gens detonsa ruit per veritum scelus.
 Audax Pontificum genus
 Ansam concubitus illiciti dedit
 Post ignem socii tori
 Sublatum medio, impura nefariis
 Scortis incubuit cohors:
 Damnatique prius rara licentia
 Stupri transfiliit modum.
 Invenit Sodomæ grande nefas amor
 Ausis non homini datis,
 Reclusitque Erebum flamma libidinis.
Nil mortalibus impium est,
Cælum ipsum premit infamia: per scelus
 Nec summi minitantia
 Curat verba Dei perpetuas faces.

PARODIA IV.

*Adventu hyemis & instabilis fortuna conditio-
 ne proposita ad non credendum for-
 tuna, hortatur.*

ADvenit acris hyems solitâ vice frigoris ni-
 visque,
 Sistuntq; quassas navitæ carinas: (igni
 Nunc etiam stabulis gaudet pecus, atq; arator
 Et recta canis albicant pruinis. (mâ:
 Nomlæti choreas ducunt pueri, imminēte bru-
 Iunctæque charis virgines Ephēbis
 Tellurē socio pulsant pede: dum gelu Decēber
 Emitterit atrox arcticis ab oris (mitrâ
 Nunc decet aut molli nudum caput impedire
 Aut marte, naves quam ferunt Boreæ.
 Nunc & in obscurâ flammæ decet excitare no-
 Seu fiat ore, seu pyrite acuto (de
*Lubrica fors dubia penetrat vice pauperum ta-
 bernas.*

*Regumque Turres, ne fidem illi habito:
Fallax fortuna facies vetat inchoare firma
Spem sortis: anceps jam premit periculum:
Et vexant fati ludibria, quo semel repulsus
Vix fausta fortis sortiére fata,
Felicemq; statum mirabere, quem cupit petiq;
Nunc omnis, & mox execratur idem,*

PARODIA V.

Ad Mariam Deiparam.

Qvis foeno recubans in gracili tenes
Innexus teneris te pia fasciis
Blandus, Virgo, puellus?
Cui primos adhibes cibos,
Dives munditiis? Heu quoties scelus
Atrox Terrigenum, flebit, & aspera
Verbis corda studebit
Emollire suavibus!
Qui nunc hic jacet in gramine parvulus
Nulli durus erit, semper amabilis
Omni, nescius iræ
Crudelis. Miseri quibus
Hic iratus erit. Me digito Dei
Conscriptum folium dogmatis erudit,
Huic fidisse potenti
In rebus dubiis Deo.

PARODIA VI.

*Ad Christum, Diaboli mortis & infer-
ni Victorem.*

Dicêris tenui fortis & hostium
Victor, Christe potens, nunc mihi carmine,
Quam rem cunq; ferum contra Erebi Ducem
Pollens robore gesseris.
Non hostem stygium vincere, nec gravem
Iovæ almi stomachum, cedere nescii,
Nec gressus superum dirigere ad domum
Nec verâ requie frui
Quibamus; tenuous nam sumus, & scelus
Commissumque nefas & vitium vetat,
Vires Tartarei Principis integras
Nostrâ frangere dexterâ

Quis

Quis mortem jaculis parcere nesciam
 Ulli vicerit? aut ignibus inferis
 Nigras Eumenides? aut stygiam domum?

Christus Patre Deo satus.

Nunc ergo tua nos prælia robore
 Inviçtos valido Tartareos Duces
 Cantamus memores, carmina fœndimus
 Nec præter meritum tibi.

PARODIA VII.

Ad hominem Christianum.

Alii alios laudant Sanctos: Auctor reliquis an-
 teponit Christum, qui verum solatium
 in cruce dare novit.

Laudabunt alii justum Noam, aut Abraha-
 mum,

Aut Isacum, geminosve Rebeccæ

Gnatos: vel pietate Semum, aut virtute Jose-
 phum,

Insignes: aut Samsona fortem.

Sunt quibus unum opus est, Reges sanctosque
 Prophetas

Carmine perpetuo celebrare, &

Undique vexatum Mosi præponere Iobum:

Plurimus in Davidis honorem

Aptum scribit epos factis, laudatve Johannem.

Me nec jam primævus Adamus,

Nec tam percussit Salomonis fama potentis,

Quam summi Patris unica proles,

Christus nempe Dei gnatus, gnatusque Mariæ,

Hunc celebrabo carmine sacro.

Nam velut obscuras dispellit Cynthia noctis

Lux tenebras, neque parrurit umbras

Terribiles: sic ex animis dispellere novit

Tristitiam mentisque dolores

Ille suo verbo: seu te infernalibus umbris

Styx terret, seu culpa tenebit

Criminis atra tui. Charos cum Christus amicos

Perversum legaret ad orbem,

Pectora colloquio fertur lenisse suavi,

Sic tristes affatus eosdem:

Qua

Qua terra usq; patet, vos & quo semita ducit
 Ibitis, o fratres sociiq;
 Nil desperandum Christo duce & auspice Christo:
 Certus enim promitto daturum
 Me vobis vires, ut tristia quaq; futura
 Forti animo tolerare queatis.
 Ergo estote viri, ex animo nunc pellite curas,
 Mox post fata tenebitis astra.

PARODIA IIX.

Hominem crapula & voluptatibus de-
 ditum notat.

Helluo dic, per unum
 Te Deum testor, cyathos cur properes
 bibendo

Perdere te? solutam

Cur agas vitam genio deditus atque ventri?
 Cur neque temperanter (um oris

Victites, nec mixta fames, nec sitis hunc tu-
 Temperet appetitum? (rem

Cur times Bacchi latices linquere? cur labo-
 Sanguine viperino

Cautius vitas? neq; jam das studiis honestis
 Tempora? saepe lingua,

Sæpe præ cunctis calamò nobilis expolitò
 Quid fugis? ut ferocem

Herculem dicunt Lydiæ morigerum puellæ
 Prælia; ne virile

Robur in Lernam, & Lybicos proriperet
 leones.

PARODIA IX.

Sub cruce auxilium Christi speran-
 dum.

Vides, ut uni gens pia dedita
 Christo prematur; vix toleret graves
 Mundi furores; Dæmonisque
 Sævitiâ patiatur insons?
 Dissolve curas mens mea turbidas,
 Quærens levamen rebus in asperis,

[De]

Deprome sacratis liquorem
 Lætitiaëque merum scatebris.
 Committe Christo cætera vindici,
 Qui solus hostes sternere quit truces
 Turbæ fidelis, nec Tyranni
 Nec Satanæ metuit furorem.
 Huic ne juvandi constituas diem?
 Quamcunque sortem sed dederit, lucro
 Appone: nec quando moratur,
 Abjice spem; veniet citatus,
 Donec petitis suppetiis abest
 Servator, in spes & prece simplici
 Lenique sub noctem susurro
 Æthereum penetres olympum.
 Nunc & gementis pectoris intimo
 Gratus Iehovæ tractus ab angulo
 Singultus ascendat, lacerti
 Inque polum digiti leventur.

PARODIA X.

Hymnus in CHRISTVM.

CHRISTE, rex invicte, nepos Davidis
 Qui potens hostes hominum superbos
 Vi repressisti, crucis & probrosa
 Morte fugasti.
 Te canam summi Patris omnem ad orbem
 Nuncium, nostræque salutis unum
 Principem, & quicquid placuit potentem
 Condere dextrâ.
 Tu salutem olim nisi reddidisses
 Per dolum amissam Satanæ, cruentâ
 Morde dum vincis, viduus salute
 Interiissem.
 Quin & æternos duce Dæmone ignes
 Cætus humani generis relictâ
 Arce cœlesti subiisset, atrum
 Trusus in orcum.
 Tu pias lætis animas reponis
 Sedibus: solusque piam reducis
 Ad polum turbam, superis potentem
 Infima jungens.

PAR.

PARODIA XI.

Ad hominem Vitiis deditum.

A peccatis vitæ brevitatis nos abducatur.
TU ne distuleris flere nefas, quod tibi con-
scia (laveris
Mens dictat tacitè; perditte homo; nec cumu-
Nævorum numerum, deterius non melius se-
quens:

Nec plures hyemes quas tribuit Jova tibi, ut tuã
Vitam corrigeres, oppositum turpiter in scelus
Mutaris. Sapias, vina relinquant: spatio brevi
Spem longam foveas: Dum loquimur, diffugit
improba

Mundi gratia: Jam fige suctis vitiis modum.

PARODIA XII.

*Post collaudationem Dei, & Virorum insignium,
tandem ad laudes Christi descendit.*

QVem virum, aut herosa chely canorã
Nunc tibi sumes celebrare Musa?
Quem Deum? cujus celebrabit ode
Nomen & acta,

Hic in Arcteis Aquilonis oris
Qua bibunt Breglæ gelidum liquorem
Turba Parnassi, temerè unde raro
Carmina fiunt;

Arte quæ doctã sibi promereri
Calculum & suffragia doctiorum
Aspera, atque examina Zoilorum e-
vadere possint.

Quid prius dicam solitis Iehovæ
Laudibus? qui res hominum & ferarum,
Qui mare & terras, spatiosum & orbem
Temperat unus.

Unde nil majus generatur ipso,
Nec viget quidquam simile aut secundum,
Nec sui cuiquam finit occupare
Gloriam honoris.

Præliis fortis neque te silebo
Josua, ac ausis inimice Baruk

Sisse-

Siffaræ, nec te metuende Samgar
Robore clavæ.

Dicam & Ehudum, & Gedeonem, atroces
Hunc tubis, illum gladio minaci
Nobilem, cujus simul utriusque
Facta leguntur.

Mille Samsonis putridâ perempti
Concidunt maxillâ asini Philistæ,
Ipsius (quod sic voluit) manuque
Corruit aula,

Davidem post hunc prius, an quietum
Ipsius natum memorem, aut superbos
Roboræ fasces, dubito, an Manassæ
Flebile regnum,

Hiskiam, & Iosiam, animaque magnæ
Prodigum Judam patria ob statuta,
Ejus & fratres, Jonatham & Johannem
Carmine dicam.

Hos enim, & patrem Marathiam eorum
Vtilem oppressis tulit, & Simonem
Zelus in Leges, & avitus ampla
Cultus in æde,

Altero crescit velut arbor ævo
Fama Baptistæ: micat inter omnes;
Unus Heroas, velut inter ignes
Luna minores,

Gentis humanæ pater atque custos
Ortus à nullo sui habet fidelem
Filii curam, Domini potenter
Cuncta regentis.

Ille, seu Sanctis Satanam imminentem
Egerit justo Dominus triumpho,
Sive subjectos populi fidelis
Vicerit hostes.

Unus hic latum regit æquus orbem
Et gravi motu quatit altum Olympum.
Et parum castos inimico in orcum
Fulmine mittit.

PARODIA XIII.

Ad Iesulum recens natum.

Dolet Herodem insidiari Vita Iesuli.

Quum sic, Iesule, Rex tuam
 Cervicem roscam, cerea perdere
 Tentat brachia, væ, meum
 Fervens ob facinus tale dolet jecur,
 Tunc & mens mea se suâ
 Fixâ sede movet! æstus & insonos
 Tales proruit: impium
 Quam lente superûm corripit ultio,
 Uror seu tibi deditos
 Defraudare Magos insidiis cupit
Vulpes: seu teneros furens
 Mandavit pueros ense neci dare.
 Non, ceu me sacra vox docet,
 Vivet perpetuum, te neque Barbarus
 Quæret perdere, quem Satan
 Omni parte sui supplicii imbuit,
Infaufti ter & amplius
Quos mens conscia sic lancinat, & malis
Dives aut querimoniis
In nigro Eumenides ob mala Tartaro.

PARODIA XIV.

Ad Ecclesiam undiq; afflictam.

OGens sancta, novi te Satanæ impetus
 Vexant, ô quid ages? fortiter arripe
 Christum: nonne vides, ut
 Nudæ consilio manus,
 Vexatiq; pii sub cruce lugeant,
 Oppressique gemant, ac sine viribus
 Vix perferre malorum
 Possint imperiosius
 Regnum? non aliud subsidium tibi,
 Quò tantis fugias pressa iterum malis.
 Quamvis sæva Tyrannis,
 Nigri filia Dæmonis
 Tentet Christicolas tollere funditus,
 Nil cunctis tamen hæc viribus efficit.

Diffi.

Diffidas, quia Christus

Addet suppetias, cave.

Ne ergo sollicitum sit tibi tædium,

Sed desiderium non leve, si moram

Inter multa pericla

Æquus fecerit Arbitrer.

PARODIA XV.

Christi Vaticinium de mundi & impio-
rum interitu.

MUndus cum Fidei sperneret ausibus

Stultis salvificæ perfidus orbitam,

Tali fatidicas explicuit sono

Fauces, ut caneret fera

Christus fata: *Malo despicias omine*

Verbum quod repetet iudicii dies,

Mundi cum Dominus rumpere machinans

Et regnum Veniet Vetus.

Heu quantus pueris, quantus adest viris

Planctus, quale creas supplicium tua

Genti! jam stygias Rex Erebi faces

Flagrumq; & rabiem parat.

Nec quicquam Veneris subsidium miser

Quares in tenebris, falsaq; Liberi

Accerses querulis numina planctibus.

Nec quicquam sceleri graves

Pœnas atque animi spicula conscii

Vitabis; Superum nec celerem sequi

Vindictam: tibi nam serior advehet

Vesper perpetuum malum.

Non memet Dominum grande nefas tuum

Tollentem, sacra nec vulnera respicis?

Instant impavidi Discipuli mei

Paulusq; & Petrus haut rudes

Pœne, qua remanet nequitiam ob suam

Perversis; Et ait voce Prophetica

Henoch: Et Venit ad iudicium sacro

Stipatus Dominus choro:

Quem tu, cervus uti cum videt horridum

Adventare lupum graminis immemor,

Effu-

Effugisse Soles ausibus irritis.
 Non hoc pollicitus tibi.
 Iracunda dies destruet omnia,
 Qua mundi patuli fabrica continet.
 Post certas hyemes uret Olympicus
 Ignis orbis opus triplex.

PARODIA XVI.

Ad Christum.

Pro Remissione peccatorum.

O Matre pulchrà Jesule pulchrior,
 Quem criminosis sæpe supra modum
 Læsi piaculis: Hincque flammam,
 Plectere si libet, excitavi.
 Non sic flagello Tisiphone quatit
 Sontes, Tyrannis nec fera sic furit,
 Non Tryzus æque; non acutos
 Tortor ita ingeminat dolores,
 Ut crimen ingens: quod neque pharmacum
 Depellit ullum, non opus optimum,
 Non nulla virtus, nec beatus
 Quisquis erit Genius Jehovæ.
 Certum est: Adamum, quem Deus è rudi
 Limo creavit, particulam luis
 Primævæ & infecti appetitus
 Vim generi ingenerasse nostro:
 Primæva cunctos hæc homines mala
 Stravêre, & humano generi ultimæ
 Stetêre causæ, cur periret
 Funditus attraherentque cuncti
 Regnum Tyranni Tartarei insolens.
 Ignosce culpæ. Me quoque patrium
 Infecit à prima juvenia
 Crimen, in innumerasque noxas
 Traxit sequentem: nunc ego fletibus
 Auferre quæro crimina: dum mihi
 Vias repurgaris amicus
 Sordibus his, animumque reddas.

PARO

PARODIA XVII.

*Ostendit se ardere studio sacro, & multa ex
illo provenire commoda.*

CLivo sacrato sæpe Sionio
Mutat Lycæum mens mea: & igneum
Sentiscit ardorem verendi
Dogmatis & fidei salubris.
Solers amœnum per nemus aureos
Inquiro flores, & thyma, deviam
Quæ recreant Christi cohortem,
Et stygium reprimunt Colubrum,
Et Christi ovilis terribiles lupos:
Hæc, quando dulci dirus arundine
Auceps, & infesti barathri
Tristia personuere claustra,
Memet tuentur: Nam studium sacrum
Cordi Iehovæ est. Hinc mihi copia
Manabit ad quasvis fugandas
Insidias opulenta Averni.
Fretus sacratâ hac arte, tyrannidis
Fastidiam æstus, & fide Davidis
Cantabo, sperantes in unum
Esse metu vacuos ob omni.
Hinc permanentis gaudia gloriæ
Sub mente volvam: nec Phlegethontia
Cum morte formidabo tristi
Limina: nec metuam protervum
Regem inferorum, ne malè dispari
Incontinentes injiciat manus:
Et gloriæ tollat coronam
Perpetis, & bona summa cœli.

PARODIA XIX.

Verbum Dei simpliciter esse acceptandum, non
rationis glossematibus perversum
tendum.

Ad Dn. Urbanum Lubbecium.

SS. Th. Stud.

Nullum Urbane dato calle prius presseris
orbitam

Circa illud studium salvifici dogmatis arduum

No-

Nobis omnia nam verba Deus proposuit : piis
 Quæ tristes animo projiciunt sollicitudines
 Quis post verba DEI tristitiam, aut luxuriam
 increpat?

Quis non te celebrat Gnate Dei, teque Deus
 pater?

At, ne quis nimia transfiliat notitiâ modum
 In sacris : monet id cum sciolis rixa super Dei
 Verbo mota : monet Paulus idē nō levis impiis :
 Quum fas atq; nefas exiguo sine sophismatum
 Discernunt avidi : non etenim verba Dei sacra
 Perversè quatiâ : nec variis picta sophismatis
 Sub divûm rapiam. Falsa habeant cum grege
 perduto

Mētis somnia, quæ subsequitur perpetuo timor,
 Et frangens animum plus nimio sub cruce spes
 mala

Æterniq; poli prodiga mors, horridior styge.

PARODIA XIX.

Ad Iesum recens natum, sc. illius amore urî.

OMnis turba fidelium
 Hebræaq; jubet me Salomes puer,
 Et mundana protervitas
 Divinis animum reddere amoribus.
 Urit me pueri nitor
 Splendentis superi Patris imagine.
 Urit summa benignitas
 Et nati pueri summus amor mei?
 Ad me nam veniens, poli
 Arcem deseruit : nec patitur ferum
 Regni Tartarici Ducem
 Captum ducere me perpetuam ad necem.
 Toto pectore diligam
 Hunc blandum puerum, thuraq; supplicis
 Et castæ precis offeram :
 Maçtaboqve sacri carminis hostiam.

PARODIA XX.

Ad Christum.

*Invitat eum ad hospitium pectoris minime
 sumptuosum.*

Vile

Vile ne spernas penetrabile nostrum
 Pectoris, fervente tuo cruore
 Quod repurgasti: datus incruento
 Cum tibi ligno
 Christe Rex, fellis liquor, ut paternam
 Flecteres iram, simul & probrosam
 Redderes vitam mihi morte nostro
 Crimine ademptam,
 Lectulum nullo nitidum apparatu
 Cordis intrabis: mea nam superbam
 Nec nitent pompa, neque fastuoso
 Pectora cultu.

PARODIA XXI.

*Ad Dn. Iohannem Babbatium, Scholæ Cniphoviana
 Region. Prorectorem, cum Philosophiæ Ma-
 gister Region. crearetur, A 1623.*

Iohannem juvenes dicite floridi,
 Et vos Babbatium dicite virgines,
 Præstantem arte Magistrum,
 Dilectum Aonio choro.
 Vos lætum viridi lauream Apollinis
 Quam claræ & Sophiæ conspicuum decus,
 Et Phœbi lyra dulcis,
 Virtus & meret ardua.
 Vos metris totidem tollite fœminæ
 Solemnemque mares Babbatii hunc diem
 Iohannemque Magistri
 Insignem titulo novo.
 Hinc mentis ruditatem, hic quoque barbaros
 Mores, à teneram pube Scholasticam
 Applausu atque favore
 Vestro erectus aget procul!

PARODIA XXII.

*In abitum M. Ieremias Nigrini, ad functionem
 Rectoratus Scholæ Wismarsens.
 Anno 1623.*

Studiorum famam ubique pervenire.
 Iteras doctus, studiisque clarus,
 Non eget vulgi instabilis favore,

Nec

Nec suo præcone celebris artis,
Chare Nigrine:

Sive venetur titulos honorum,
Sive contendat fieri celebris
Exteris, & pervolitare docta
Ora virorum:

Namque te tellus, Bregelanâ in urbe
Dum doctes cœtum tenerum, nec ulla
Exteri curâ premeris Lycœi,
Extera quærit.

Tale momentum tulit erudisse
Pectus indoctum studiis honestis
Et bonas artes teneræ juventæ
Proposuisse,

Pone quem longis, ubi nulla terris
Evehat quenquam popularis aura,
Ad latus mundi tamen illud artis
Fama feretur.

Ergo tu quamvis fueris propinquus
Nec mihi posthac, tamen hic Nigrine
Dulce scribentem, & calamo, audiam te,
Dulce loquentem.

PARODIA XXIII.

προσφώνησις Christi ad Peccatorem.

Vitas non lepori dissimilis me, Homo,
Quærenti requiem montibus aviis
Gratam, non sine vano

Telorum, atque canum metu
Nam seu terribilis Legis inhorruit
Vox, Evangelii seu monita ardua
Promisere salutem

Et corde & genibus fugis.
Atqui non ego te, tigris ut aspera,
Gætulusve leo, perdere persequor,
Tandem desine Christo
Tempestiva sequi mala.

PARODIA XXIV.

In abitum M. Ieremie Nigrini.

Qvo desiderio mens mea ferveat

Tam

Tam chari capitis, carmine simplici
 Dicas Musa mihi, cui penetralia
 Cordis cognita sunt mei.

Nigrinum ergo oculis subtrahit hinc iter
 Nostris? cui patrius candor & integra
 Mens, sincera Fides, nudaque Veritas,
 Addunt se comites viae.

Multis iste bonis & abitus gravis,
 Sed nulli gravior quam mihi, qui modò
 Nequicquam cupio non ita creditum
 Hic te cernere longius.

Quod si Threicio blandius Orpheo
 Possem dulcisona flectere te fide,
 Tum vanæ fierent curæ abitus tui;

*Sed cum non liceat semel
 Summi fixa Dei fata recludere,
 Qui te praposuit Pierio gregi:
 Gratum hoc: Atque abitus fit levior mihi;
 Nam fato obstrepere, est nefas.*

PARODIA XXV.

*De presenti mundi, ut etiam futuro piorum
 & impiorum statu.*

Parcius clausum quatiant Olympum
 Serijs votis homines maligni,
 Nec Dei laudes celebrant; amatque
 Turpia mundus.

Quæ prius vox sacra Dei movebat
 Plurimos, audit minus & minus jam,
 Veritas longas subeunte noctes
 Fraude quiescit:

Invicem mundus scelus ob nefandum
 Flebit in diro stygis angiportu,
 Tartari bacchante magis per inter-
 valia Tyranno

Cum piis divinus amor favorque,
 Qui solet tristes animare mentes,
 Afferet jucundum animi tenorem
 Non sine quæstu.

Læta cum pubes viridi coronâ
 Gestiet, pallâ niveâ atque palmis;

Et Redemptoris celebres triumphos
Dicit in ævum.

PARODIA XXVI.

*Ad Christum, cujus prasidio tutus
nihil timet.*

Christo dicatus, Tartareas minas
Tradam sonoris in mare Ponticum
Portare ventis: Styx quid ardens
Aut Saranæ metuatur iræ?
Quid crimen ingens terreat unice
Charos Deo? ô qui cordibus integris
Gaudes, feroces frange vires,
Frangere meæ infidias salutis,
Jesu Redemptor: Nil sine te mei
Profunt labores. Sic fidibus sacris,
Sic vivido sonabo pletrô,
Teque tuosque canam triumphos.

PARODIA XXVII.

*Ad Christianos, ut Veritati & integri-
tati studeant.*

Natos ad usum nequitiae dolos
Versare, turpe est: tollite perfidum
Morem, Redemptoremque vestrum
Veridicis retinete dictis.
Christo Magistro perfidia & dolus
Immane quantum discrepat? impia
Commenta Christiani cavete,
Atque fide radiate purâ.
Vultis perennis vos quoque gaudii
Sentire partem? Dicat apertius
Quisquis, quid imo delitescat
Pectore, quos meditetur astus.
Cessat voluntas? non aliâ datur
Mercede quo - te - cunque ferat tuæ
Mentis cupido: namque aberras
Ausibus, innumeroque semper
Errore peccas. Quicquid habes, age
Committe Christo, ne stygiâ miser

Tan-

Tandem labores in Charybdi,
 Digne equidem meliore flammâ.
 Quæ vota, quis te solvere propriâ
 Virtute sanctus, quæ poterunt preces?
 Non expeditum te triformis
 Pontificis statuet corona.

PARODIA XXIIX.

Colloquium Christi cum homine,
*Omnes homines exemplo Christi & Sancto-
 rum cruci esse subjectos.*

HOMO.

TE maris & terræ, requieq; carentis Olympi
 Authorem cruciant, pie Christe,
 Criminis infontem Solymæ propè mœnia multo
 Vulnere: nec quidquam tibi prodest
 Æthereas docuisse vias, populoque salutem
 Ostendisse novam, morituro.

CHRISTUS.

Multa tulit primus genitor, horti incola
 Edenis
 Servatusque Noachus in undis.
 Atque Dei arcanis Moses admissus, agitque
 Sors mala Zschariden, Domini orbis
 Præconem: quamvis cunctis accepta misellis
 Tempora restatus nihil ultra
 Juris in humanam morti restare cohortem:
 Judice me, non ultimus auctor
 Baptismi sacri: Nam cunctos certa manet crux,
 Et toleranda piis mala plura.
 Hinc alii sunt spectacula grata tyrannis,
 Exitio est aliis fera flamma.
 Multa senum ac juvenum cæduntur corpora
 passim,
 Nullum fors inimica fugitque,
 Me quoque dementis rapidus furor Israël
 Profundis lethi obruit undis:
 Sic homo, ne fortis quæras evadere arenam
 Adversæ, & capite inviolato

Coelum accedere. Sed quodcunq̄ue minabitur
Orcus

Fluctibus adversis, patienti
Pectore vincatur. Me vindice maxima merces
Nam tandem tibi defluet æquo
A Jova, Christoq̄ue suæ custode cohortis.
Verum, ais, immeritum nocituris (dem
Fraudibus infestos te hostes committere? tan-
Præmia digna vicesq̄ue beatæ (tà,
Teremanent ipsum, prece non linqueris inul-
Te mea sacra piacula solvent. (licebit
Et quanquam premeris (non est mora longa)
Abjectis me cernere curis.

PARODIA XXIX.

*Ad Christum, Satana & Inferni
Victorem.*

Jesu malignis nunc Satanæ in vides
Ausis & acrem militiam parais
Non ante devictis Averni
Gentibus: & Stygio Tyranno
Nectis catenas: Nunc tibi gens pia
Orco subacto serviet unicè:
Minister in templo sacra unctus
Ad cathedram statuetur aurâ,
Doctus fideles pascere oves tuas:
Verbo sacrato: Quis neget impiis
Pravas remitti posse noxas,
Mentibus & Satanam fugari:
Quum tu Redemptor Christe inamabiles
Sedes Draconis, Tartaream & domum
Vastare, credenti cohorti
Pollicitus meliora, tendis.

PARODIA XXX.

AD SPIRITUM SANCTUM.

O Sacer Natique Patrisque confors
Spiritus, descende polo, & vocantis
Te prece ardenti penetrare cordis
Transfer in arctum:
Cœlicus tecum favor, & benignæ
Gratiæ dotes, veniantq̄ue vires,

Et

Et parum constans sine te novata
Vita, fidesque.

PARODIA XXXI.

Ad Christum.

*Omni bus spretis petit Verbi divini
usum.*

Quid lingua Numen poscit Olympicum
Supplex quod orat, pectore quid preces
Fundit sonoras? non opimas
Divitias Arabum potentum:
Non bellicosæ sceptræ Poloniæ
Superba: non aurum, aut odor Italum:
Non thura, quæ tellus Sabæa,
Aërius Libanusve spirat,
Secent aristas falce, quibus soli
Cultura cordi est: prodigus aureos
Decoctor absumat culullos,
Merce malâ proavi paratos
Charûs gulosis: quippe ter & quater
Horâ requirens ingluviem suam
Implere. Me pascunt salubres
Verbi epulæ atque dapes sacrati.

Fruï paratis his liceat mihi
Mi Christe, donis, deprecor intimâ
Ex mente, sic possum beatè
Vivere, nec Satanam timere.

PARODIA XXXII.

Ad Christum, Calendis Ianuarii.

Dicinus grates clypei sub umbra
Sospites, quod nos pie totum in annum
Christe servasti, canimusque laudes
Carmine sacro.

Dæmonem primùm repulisti atrocem
Ne ferox bello, media inter arma
Sæpe jactatam opprimeret fidelem
Fraude cohortem,
Prælium, pestis rabiemque, & illi
Semper hærentem esuriem fugasti,
Et necem nigris pheretris nigrâque
Veste rumentem.

O decus cœli, & soboles supremi
Christe, rex invictæ, Dei; ô dolorum
Dulce lenimen, mihi cunque posthac
Dexter adesto:

PARODIA XXXIII.

Ad Dn. Urbanum Lubbecium agrotantem. Cru-
cem piis tolerandam esse,

URbane, haut doleas plus nimio, memor
Cœli lætitiæ: neu miserabiles
Decantes elegos, cur Dominus tibi
Duram suppeditet crucem:
Dilectum miserâ sorte hominem prius
Christi tentat amor. Christus at impiis
Non imponit onus: Sed prius horridis
Iungentur capræ lupis,
Quam turbam Dominus diligat impiam,
Sic visum Domino: cui placet hic suos
Charos Discipulos sub juga ahenea
Durâ mittere cum cruce:
Verùm judicii cum veniet dies,
Ingratâ usque malos compede vinciet
Tristis Tersiphone, sævior horrido
Horrendæ Domino Stygis.

PARODIA XXXIV.

Verbo Dei confidens, omnia perferre potest.

Fidus Iehovæ cultor, & impiger
Diviniori dum sapientiæ
Incumbit uni, non retrorsum
Vela dare, atque iterare noxas
Tentat relictas: sive tyrannidis
Igni corusco corpora destinans
Vis innocentum sæva valdè
Vexet eum, misereque frangat
Seu bruta Papæ vanaque fulmina
Et Styx, & invisi horrida Tartari
Sedes, tenebrarumque Princeps
Concutiant, valet omne namque
Perferre, & ingentem attenuat crucem
Æterna sperans. Hinc quoque Carnifex

Tor-

Tormenta cum stridore acuto
Admoveret, hæc tolerasse gauderet

PARODIA XXXV.

Ad Christum, Oratio Ecclesie afflictæ.

O Christe, celsum qui regis æthera
Potens vel alto pellere de gradu
Corpus superbum, vel dolorem
Vertere conspicuis triumphis.
Te fidus ambit sollicitâ prece
Cætus piorum; te Dominum omnium
Quicumque jactatur procellis
Tristibus in pelago hujus orbis:
Te Rex Averni, te Lemures nigri,
Orcusque tristis, Cerberus & ferox
Torvæque matres inferorum &
Tartarei metuunt colubri.
Iratiori ne pede prorvas
Veri columnam, neu furor impius
Tuæ arma cessanti cohorti
Inferat; innocuosque perdat,
Te semper anteit fervida Charitas,
Natas tenellas & pueros manu
Utraque gestans: nec severus
Vultus adest, rigidumque fulmen.
Te spes & ævo rara Fides colit
Sacrata nostro, te neque deserit,
Ni mente mutatus tyrannos
Indomitos reprimas potenter.
Et vulgus infidum, atque cohors retrò
Perjura cedat: diffugiant mali
Cum gente durum Christianâ
Ferre jugum pariter dolosi.
Serves cohortem credulam in ultima
Hac fæce mundi, nec fera vis tuam
Ecclesiam, inferni timendam
Gentibus, opprimat enecetque.
Iesu cicatricum ah reminiscere
Fratrumque, quid nos dura coërceat
Ætas? Quid intactum tyrannis
Præterit? Unde manus juventus

Metu Jehovæ continet, & quibus
Iam parcis aris? ô utinam tuus
Tandem furor sævos retundat
Interimatque gregis pii hostes.

PARODIA XXXVI.

Ad Christum resurgentem.

ET voce & fidibus juvat
Cantare, atque sacro carmine dicere
Victorem Satanæ Deum:

Qui nunc parte soli sospes ab infimâ
Mœstis magna sodalibus

Nulli plura tamen gaudia contulit
Quam Petro misero: memor

Summæ tristitiæ pectoris ipsius,
Mutatiq̃ue animi mali.

Grato ne careat sacra dies sono:
Neu famæ modus inclytæ,

Neu morem in veterem sit requies precum.
Neu multi Satanas doli

Curis Christicolas turbet edacibus:
Neu desint epulæ sacræ,

Neu plausus hilares, neu pia gaudia,
Omnes ad Dominum suos

Attollant oculos: corde nec ex pio
Divelletur Olympicus

Hic Rex per vitia & fœda piacula.

PARODIA XXXVII.

*Ad pios, ut precibus invigilent, Marte ubiq̃
hoc tempore grassante.*

Nunc est gemendum, nunc prece supplici
Pulsandus æther: nunc penetrabilibus

Ex cordis internis Iehovam

Poscere tempus erit, Fideles.

Antehac nefas deponere retricum

Æquum fuisset, dum regionibus

Cometa fatales ruinas,

Funus & imperio canebat.

Contaminatum sed fuit omnium

Pectus virorum, quidlibet insolens

Spe-

Speravit, elatumque dulci
 Sorte; sed imminuit furorem
 Vix ulla tellus sospes ab horridis
 Bellis; rebelles nam violentiâ
 Redegit in veros timores
 Cæsar ab Albicolis volantes
 Hostes adurgens (cecu Jovis armiger
 Molles olores, aut leo capream
 Prædator in campis apertis)
 Sub juga quo vocet occupatum
 Regnum paternum quod generosius
 Regnare quærens, nec muliebriter
 Expavit ensem, nec minacem
 Cæsaris extimuit machæram.
 Ergo is subactam visere regiam
 Vultu severo venit, & aspere
 Tractare subjectos: ut ensis
 Corporis imbiberet cruorem:
 En asperatâ mente ferocior:
 Quod lapsa celsæ culmina regix
 Videret exclusum â superbo &
 Se proprium Dominum Bohemo.

PARODIA XXXVIII.

Ad Christianum,

Deum delectari piorum precibus.

Flebiles audit Deus ejulatus,
 Accipit læto pia vota vultu,
 Mitte tristari auxilio salubri
 Quando moratur.
 Supplici voto nihil afferatur
 Sedulus cura, neque casta vota
 Displicent illi, neque dedecent te
 Sub cruce flentem.

LIBRI SECUNDI
CARMINUM HO-
RATII.

PARODIA I.

Ad Jesulum recens natum.

Natum ex Maria Virgine Jesulum,
Partusque causas, insolitum & modum,
Tristemque fortunam, gravesque
Principis infidias, nefasque
Mundi expiatum sanguine Jesuli,
Refectionis plenum opus optumæ
Tractabo, & ostendam per oden
Appositam chelydi canoræ.
Paulum severus Pollio Horatii
Hæc desit odâ: mox ubi Jesulum
Metris sonarim, dulce munus
Non studio repetam remisso,
Insigne mœstis præsidium reis,
Et te colenti, Jesule, cœtui,
Cui funus æternos honores
Tartareo peperit triumpho.
Te nato acuto carmine cœlicus
Perstringit aures ruricolûm chorus,
Et fulgor incunabulorum
Splendet in oppidulo Davidis,
Fraudare doctos rex cupiit Magos
Tanquam nefando crimine sordidos,
Mox innocentes ense tollit
Jesulum atroci animo requirens:
Josephum autem & mater amicior
Jovæ, relicta cesserat antea
Tellure; mox sævus tyrannus
Reddidit exuvias sepulchro.
Quis non sacrato Flamine præditus
Vates Redemptorem hunc puerum omnium

Te-

Testatur, humanæque cladis,
Flebilis & medicum ruinæ.

Qui limes, aut quæ climata dogmatis
Ignara Christi? quo loco Apostoli

Non prædicaverunt salutem?

Quæ sonitu caret ora verbi?

Ergo relictis Musa parum jocis

Christo rependas munera gratiæ,

Mecum sacrosanctâque in æde

Pange modos meliore plectro.

PARODIA II.

Ad M. Ieremiam Nigrinum Scholæ VVismariensis Rectorem, Sponsam.

Multus in vita decor est jugali

Abditæ sylvæ inimicæ vitæ

Sponse, si in casto thalamo decora

Splendeat uxor.

Vivat exrento Monachalis ævo

Gens, tori & vitæ socialis expertis,

Illam agat tadas metuens pudicas

Fama perennis?

Latius vives socium experendo

Ordinem, quam si Libyæ ad remotos

Transeas fines, & ibi cucullus

Vestiat artus.

Crescit indulgens sibi dirus æstus,

Nec faces cessant, nisi vera morbi

Adsit istius medicina, lectus

Nempe jugalis.

Redditum casto thalamo, cucullo

Dissidens ullum numero beato-

rum eximit nunquam sociale fœdus?

Sed docet uti

Motibus: regnum imperiumque totum

Deferens illi placidamque mentem,

Quisquis uxorem in thalamo jugali

Spectat amatam.

PARODIA III.

Ad Christam patientem.

Æquam sciebas rebus in ultimis

Servare mentem, non secus in malos

Ac innocentes, ultionis
Non cupidam, morte Iesu.
Seu subdolo insons crimine læderis,
Sive in probroto stipite per sacros
Arcus reclinatus foraris
Duriter horridiore clavo:
Quã vallis ingens, albaque Golgatha
Non innocentum cruribus erigunt
Se inclinum, & obliquo laborat
Lympha fugax trepidare rivo.
Huc te sequuntur plebs, nimium & grave
Lignum probrosæ ferre jubent crucis,
Nec flebili aspectu, dolore
Pectora nec fera commoventur.
Cedunt propinquis saltibus & locis,
Ac urbe collis quam decorat Sion
Omnes: & exclamant, in altam
Pessimus iste crucem erigatur!
Deus nã Jovã natus ab optimo
Nil interest, an virgine homo satus
De matre, sub dio necaris
Victima non miserantis orbis;
Omnes redempti quã sumus; omnium
Culpã expiatur; serius ocyus
Mors adfutura, & nos in æternum
Elysiũ impositura cæli.

PARODIA IV.

Ad peccatores,
*Ne Vereantur pro remissione Peccatorum orare,
cum multi magni peccatores precibus
Deum placarint.*

NE preces sacræ tibi sint pudori,
Turba peccatrix, prius abnegatum
Filius Jannæ prece supplicanti
Movit Iesum,
Movit æternum genitore natus
Isai David Dominum scelestus
Arserat postquam minime occupatus
Conjuge raptã
Impius primum, Babylone celsa

Captus à Victore fero Manaffes
Leniit faffus graviora summum
Crimina Iovam.

Nescias an te miserum beati
Numinis sancti aspiciant ocelli,
Noxium & frustra scelus, atque iniqua
Facta queraris?

Crede non Christum tibi de scelestâ
Plebe delectum, nec eum Jehovaham
Sic malo aversum potuisse nasci
Virgine frustrâ:

Crimina & noxas, maculasque turpes
Integer tollit: fuge suspicari
Cœlicos illi misero penates
Claudere Christum.

PARODIA V.

Ad Ecclesiam afflictam consolatio.

Vix dum subactâ ferre jugum vales
Cervice: vix dum vulnera pectoris
Perferre, vix turbæ furentis
Sævitiâ tolerare summam.

Magni dolores sunt animæ tuæ,
O sancte cœtus, nunc crucis & gravem
Sentiscis æstum, nunc in orbe
Vivere cum scelerum Magistris.

En te hîc oportet ferre tyrannidem
Immitis orbis: jam tibi vividum
Præstabit æternus levamen
Seposito DOMINUS dolore:

Jam te videbit: curat enim suos
Iova, atque plagas, quas tibi demserit,
Apponet orbi: jam proterva
Triste petet barathrum tyrannis.

Dilecta verò turba Dei crucem
Non flebit: excelso æthere sic nitens
Ut pura supremo renidet
Luna polo, rutilusque Titan.

Quam cum piorum Iova choro inseret,
Nullos dolores sentiet amplius,
Discrimen evadet, sonabit
Cantibus, egregioque versu.

PAR

PARODIA VI.

Ad Christum descendentem ad inferos.

CHriste funestas aditure fauces,
Et Stygem indoctam juga ferre nostra &
Inferas sedes, ubi nigra Lethes
Æstuat unda.

Abrahæ sanctis gremium paratum
Sit mihi sedes, pia fata quando
Præstô sunt lasso studii, perennis
Militiæque.

Unde si sordes prohibent iniquæ,
Dulce profusi valeat cruoris
Flumen, ut sacrata petam supremi
Regna Iehovæ.

Ille jucundos mihi præter omnes
Nam locus ridet, ubi non beatis
Mœsta succedunt, hominesq; certant
Carmine sacro:

Ver ubi longum, tepidasque præbet
Summus æstates, & amicus ulli
Incolæ Christus minimè beatas
Invidet arces.

Ille me tecum locus, & beatæ
Postulant sedes, ubi tu calentes
Solus absterges lachrymas redempti
Fratris amici,

PARODIA VII.

Ad Christum cælos ascendentem.

Pro remissione peccatorum.

Osæpe Sanctis rebus in ultimis
Sperate contra militiam Stygis,
Quis te redonavit triumphus
Cœlicolis patrioque cœlo,
Jesu levamen dulce fidelium?
Cum queis morantes sede poli dies
Frangis, coronatus nitore
Perpetuoque caput decoræ
Multos dolores pectoris, & crucem
Sensi, relicto non benè te duce:

Nam

Nam fracta virtus, atque edaces
 Curæ animum subiêre totum,
 Me verò in illis iste tuus favor
 Diò paventem robore muniit,
 Me, Dæmonem in bellum resorbens
 Palma locis posuit quietis.
 Ergo obligatum reddo tibi melos,
 Multisq̄ue fœdum criminibus latus
 Depono sub lauru tuâ: nec
 Parco metris tibi destinatis,
 Oblivioso tetrica lumine
 Delicta spectata: funde super tuos
 De gratiæ donis: quis alter
 Emaculare potest pudendas
 Curatve sordes? Te Deus arbitrum
 Dixit piandi: Non ego carmine
 Cessabo sacro, receptâ
 Dulce mihi canere est solute.

PARODIA IIX.

προσφώνησις Christi ad Peccatorem.

Ulla si juris tibi pejerati
 Culpa, peccator, doluisset unquam,
 Mente si tantum fieres vel unâ
 Tristior horâ,
 Plauderem, sed tu simul obligasti
 Perfidum votis caput, ingemiscis
 Ob scelus nunquam, scelerumq̄ue prodis
 Publicus autor.
 Expedi vatum monitus apertos
 Spernere, & summo monumenta Jovæ
 Sacra cum fastu, gelidaq̄ue divos
 Morte carentes.
 Luget hoc (inquam) Deus ipse, lugent
 Cœlites sancti; ferus atque Dæmon
 Semper ardentes tenebris in atris
 Excitat ignes.
 Adde quod crimen tibi crescit ingens,
 Culpa succrescit nova: nec priores

Im-

Impiæ noxas Sodomæ relinquis
Sæpe rogatus.

Te nigræ fauces capient Gehennæ,
Te nefas ingens, animæque semper
Vermis arrodet: tua si retardas
Crimina flere.

PARODIA IX,

Ad Christum,

Oratio Ecclesie afflictæ.

Non semper umbræ terribiles soli
Manent in ora, vel malè navitas
Vexant inæquales procellæ
Usque, nec æthereis in oris,
Iesu Redemptor, Sol manet in Capro
Menses per omnes: aut Borealibus
Concreta stant terris fluenta,
Et nivibus cilix teguntur.
Tu semper urges terribili cruce
Cœtum redemptum: cui neque Vespero
Surgente decedunt dolores,
Nec rapidum fugiente solem.
At non piorum fidum inamabilis
Affixit omnes Antiochus gregem
Annos: nec Hiobum propinqui
Innocuum, aut Stygiæ sorores
Ursère semper. desine tristium
Afflictionum: quin potius mala
Impone juratis Iehovæ
Hostibus & rigidum furoris
Immitte fulmen gentibus impiis:
Discant minores spargere sic minas
Intraque præscriptum tyranni
Exiguo remanere lucro.

PARODIA X,

Ad Ecclesiam,

Vt in cruce constans sit.

Rectius vives, pia gens, Iehovam
Semper urgendo prece: nec, procellæ
Dum crucis vexant, nimium dolendo
Sortem ob iniquam.

Au-

Auream quicumque fidem, Deumque
 Obtinet, tutus caret insolentis
 Fraudibus mundi, caret execrandâ
 Dæmonis aulâ.

Sæpius plagis agitatur insons
 Cœtus? & tristes graviore damno
 Imminent casus, feriuntque Sanctos
 Tela malorum.

Sperat ast cœlum, metuit nec unquam
 Asperam sortem bene præparatum
 Pectus: immittit mala namque summus
 Arbiter: idem

Summovet. Non, si malè nunc, & olim
 Sic erit: quondam Dominus dolorem
 Auferet tristem, neque plaudet usque
 Sæva tyrannis.

Rebus augustis animosus ergo,
 Grex pie, adpare: patienter idem
 Perferes rebus minimè secundis
 Tristia fata.

PARODIA XI.

Ad Christianos,

Vt crapulam fugiant.

Quid helluonum turba nefaria,
 Christiane cœtus, dictitet, orbitâ
 Semota cœlesti, remittas
 Credere: nec placeat tibi mos
 Sectantis ævi prava: fugit cito
 Turpis voluptas, & decor improbâ
 Pellente thesauros caducos
 Pauperie facilesque fratres.

*Non semper idem corporis est honos
 Nostri, nec uno vita fugax nitet*
 Vultu: quid immensis minorem
 Oenophoris stomachum fatigas?
 Cur non in annis vel vegetis, vel hoc
 Ævo bibentes non temere; at fide
 Mentis adornati sacratâ
 Dum licet, innocuâque vitâ
 Degamus omnes, vos sacra dissipet

Cura,

Curas edaces? Quis scyphus in Styge
 Restinguet ardenti calorem
 Dæmone suppeditante flammæ?
 Quis deviam turbam eripiet domo
 Angoris? ergo, gens age credula,
 Matura & infano bibendi
 More sitim tolera relicto.

PARODIA XII.

*Neglectis rebus bellicis mundanis, solius
 Christi mortem cantat.*

NOlo dira feræ bella Bohemiæ (solum
 Nec Turcam horribilem, Pannonium aut
 Christiano madidum sanguine, dispares
 Aptare ad cytharæ modos.
 Nec sævos Italos, & nimium ferum
 Hispanum, & domitos Cæsarea manu
 Nicri amnis populos, unde periculum
 Fulgens contremuit domus
 Rudolphi veteris: magna pedestribus
 Inventæ historiis prælia Americæ
 Describatque alius, gesta que per mare
 Belgæ bella minacia.
 Me tristes Domini Musa Hominis DEI
 Casus, me voluit dicere prælium
 Christi sanguineum, & conspicuum piis
 Fidum pectus amoribus:
 Quem nec ferre gravem dedecuit crucem,
 Nec sentire probrum, nec dare brachia
 Configenda feris militibus, sacro
 Destructæ Veneris die.
 Ut tu, quæ tenuit primus Adam bona,
 Aut templi ætherei perpetuas opes
 Permutare queas, ô homo, cum cruce
 Intrare & superas domos.
 En prædulcia detorquet ad oscula
 Cervicem, ut rigidam sævitiam neget,
 Hue præbente Deo præcipites moras
 Atque illi rapere occupes.

PAR.

PARODIA XIII.

*Christus celebrandus est, qui solus peccata
mundi sustulit, & ab inferno nos
liberavit.*

Illum & sacratis concelebra metris,
Quicumque primus sacrilegum scelus
Destruxit, ingens & pia it
Flagitium opprobriumque mundi.
Illam & parentis progeniem sui
Cantato supremi, ex penetralibus
Laudato votivâ camenâ
Pectoris: ille venena cordium
Et quicquid usquam concipitur nefas
Purgavit: orbis dum statuit mala
In triste lignum, quo caducus
Ipse Deus perit immerenter.
Quid quisque credat, nunquam homini fuit
Certum sat omni: navita Castorem &
Pollucem adoravit: nec ultra
Expetiit aliunde ventos.
Miles rogavit præsidium in fuga
Martis: Minervam indoctus, Appollinem
Vates: sed infernalis omnes
Rex rapuit, rapietque Gentes.
Et poene cuncti lurida Tartara
Et tristis orci vidimus Arbitrum
Sedesque descriptas malorum, &
In tenebris Erebi querentes:
Ast ex periculis his gravioribus
Sancto redemit sanguine plenius
Nos ipse Christus, dura cordis
Abstulit & mala, dura & orci,
Non ergo longo digna silentio
Idola fas est dicere: sed magis
Pugnas & adversus tyrannum
Tartareum fera bella Christi.
Nec mirum; ubi illis carminibus dolens
Submittit atras bellua centiceps
Cristas, & intorti capillis
Eumenidum cruciantur angues.

Quin

Quin & barathri luctifoni parens
Christi laborum concutitur sono :
Nec tentat immani furore
Christicolas agitare cœtus.

PARODIA XIV.

*Querela Christi in cruce, ex Psal. 22.
& Esa 63.*

Eheu relinquis me, Deus ô Deus,
Natum vocantem : nec pietas opem
Mœrori & instanti dolori
Afferet horribilique morti.
Non, si tricenis quotquot eunt dies,
Placare pergam, placo inamabilem
Votis Iehovam ; qui triformis
Crimina flagitiumque mundi
Conjecit in me ; scilicet omnibus,
Quicumque vitæ munera possident
Rite expiandum : sive Reges,
Sive inopes ii erunt coloni.
Frustra cruentâ morte tamen piante
Factas Adami crimine noxias,
Frustra per artem ullam nocentes
Corporibus maculas fugabunt.
Calcanda soli nam mihi semita
Mortis cruentæ propter Adæ scelus
Infame, damnatosque pœnæ
Terrigenas miseros perennis :
Linquendus æther, summaque gloria
Cœli, nec hujus quam tolero crucem
Me præter invisos doloros
Ullum aliud sequitur levamen.
Consumit hæres sic bona pessumus
Servata nostro sanguine : sospes &
Scandit pavementum supernum
Tartareo potius barathro.

PARODIA XV.

De Literarum hoc seculo contempta.

Jam pauca doctæ munera principes
Turbæ relinquunt : undique lætius

Hor-

Horrenda visuntur noveno
 Castra choro : studiumque lucri
 Evincit artes: tum vigilantia &
 Virtus & artis copia nobilis
 Gignens merum largis honorem
 Muneribus domino priori.
 Jam spreta linguæ vipereos levis
 Sentiscit ictus: Non ita Apollinis
 Præscriptum, & Augusti sacrati
 Auspiciis: veterumque normâ:
 Pimplæus illis gratus erat chorus.
 Doctusque magnus nulla decentibus
 Exulta doctrinis honestas
 Porticus ejiciebat artes:
 Nec literarum spernere limina
 Leges sinebant, oppida publico
 Sumptu jubentes, Minervæ
 Tecta novo decorare cultu.

PARODIA XVI.

*Premium piorum post tristia fata esse
 Vitam aeternam.*

Præmium vitæ capit à Iehova
 Pressus in mundo, crucis atra nubes
 Exulat cælo, neque fata verant
 Tristia sanctos.
 Præmium ærumnis satiata turba,
 Præmium puræ fidei decori
 Luce, non gemmis, neque purpura ve-
 nale, nec auro.
 Non enim gazæ, neque consularis
 Dignitas sortem miseram rependunt
 Gentis electæ, neque dona mundi
 Ulla caduca.
 Vivitur vitâ benê, quam Iehova
 Reddit in cælo miseræ cohorti:
 Nec graves curæ, timor aut cupido
 Sordida turbat.
 Gens brevi Christi cruciatur ævo
 Multa, sed terram supero malignam

Axe mutantem patriæ perennis
 Limina scandunt.
 Vexat in mundo vitiosa sanctos
 Turba; nec quicquam proprii relinquit
 Sævior pardis, & alente fœtus
 Sævior urfa.

Firmus in duris animus, quod ultra est
 Permanet curare; & amara sacro
 Temperat verbo; facit hoc ab omni
 Parte beatos.

Ursit infontem mala fors Iacobum,
 Tristis Hiobum minuit procella,
 Et mihi forsitan tibi quod negarit
 Porriget hora.

Nam dolos centum, stygiasque fraudes
 Sentiunt sancti, fera tollit illum
 Mugiens bombardas; sed hunc veneno
 Spicula tincta

Enecant atro: mihi sacra dona, &
 Spiritum magnis stabilem periculis
 Iova non mendax dabit, & malorum
 Spernere sensum.

PARODIA XVII.

*Ad Christum, quem qui habet, nihil timeret,
 ex Psal. 73. Vers. 25.*

Cur me querelis excruciem malis?
 Nec Iovæ amicum est, nec mihi, cum licet
 Habere Messiam, mearum
 Omne decus columenque rerum.

Ah te meæ si partem animæ tenet
 Cordis penetral, quid trepido metu
 Charus Iehovæ, sorde ab omni
 Integer? ille Erebi Tyrannus
 Ostendet iram: non ego Dæmonis
 Curo furores, ibimus, ibimus,
 Utcunque mandabit supremum
 Carpere iter, Dominus, paratū
 Me nec Megaræ terribiles faces,
 Nec si resurgat Tisiphone fera

Divellet unquam: si parenti
 Ætherio, placitumque Christo:
 Seu Parca, seu me Cerberus allatret
 Formidolosus, seu violentior
 Regnator orci, seu Tyrannis
 Tartarei suboles Colubri:
 Mens in Iehoyam incredibili modo
 Consentit unum: Nam *Domini* pium
 Tutela cultorem benigna
 Eripiet, Satanaeque fraudes
 Turbabit omnes, & populos truces
 Tandem minaci corripiet sono:
 Me crimen illapsum medullis
 Perdiderat, nisi Christus illò
 Solus levasset, se venerantium
 Custos virorum Hinc reddere gratiam
 Carmenque votivum decebit,
 Atque sacra celebrare Musâ.

PARODIA XIIIX.

*Credentes post crucem manet caelum,
 infideles vero infernus.*

Non ebur, neque aureum
 Papæ renidens in Throno lacunar,
 Non opes Americæ
 Queunt poli horâ in ultimâ parare
 Gaudium: neque ætheris
 Ignotus hæres regiam subintrat:
 Nec Laconicâ Deum
 Vincent Tyranni purpurâ decori:
At fides Deum tenens
Beata vita est: atheremque credens
 Gens petit, nihil supra
 Deus requirit: nec superbientem
 Sanctitate flagitat
 Gregi benignus unico fideli,
 Truditur pius malo
 Dei que pergit enecare cœtum,
 Et dolere crimina
 Locat sub ipsum funus & sepulchrum
 Impius: struit dolos

Deique

Deique supremi obstinatus urget
 Summovere dogmata
 Parum laborans introire cœlum,
 Quid? quod usque pauperum
 Rapit protervus reculas; & aures
 Denegat gementium
 Querelæ amaræ? pellitur paternis
 Finibus colens Deum
 Et uxor & vir, sordidiq̄e nati.
 Nulla certior tamen
 Nitenris aulæ sede destinata
 Aula credulum manet
 Chorum: Quid ultra quærat? æther altus
 Pauperi recluditur
 Christi que pueris: nec satelles orci
 Gaudium fidelium
 Valebit impedire; sed superbus
 Sanctitate propria
 Cœtus dolebit, & videre plenum
 Tartarum doloribus
 Vocatus atque non vocatus ibit.

PARODIA XIX.

Ad Christum,

Pro remissione peccatorum.

CHRISTUM in sacratis crimina paginis
 Legi dolentem (credite ô impii)
 Fletusq̄e mordaces minantem
 Suppliciumq̄e malis acutum
 Eheu! recentimens trepidat metu,
 Plenoq̄e luctus pectore non parum
 Tristatur. Eheu! parce Iesu,
 Parce gravi metuende pœnâ,
 Fas pervicacis sit mihi pectoris
 Mentisq̄e labem, cordis & uberes
 Deflare sordes, atque densis
 Ob vitium lachrymare guttis,
 Fas & beatis cœtibus additum
 Aeternum honorem rectaq̄e perpetis
 Exstructa non levi caterva
 Regis, & alta poli tenere.

Tu

Tu flectis iram, tu mala crimina,
 Tu pœnitentes mitior in viros
 Factas remittis viperino
 Svasu homini sine fraude noxas,
 Tu cum parentis regna piaculus
 Gnatus Manasses perderet impius,
 Ejus retorsisti furorem
 In tenebris Babylonis altæ,
 Quamquam scelesto durior, & gravi
 Commotus irâ non sat amabilis
 Culpæ videbaris: sed idem
 Mitis eras, placidusq; fonti.
 Te vidit aulâ Pontificis Petrus
 Vultu benignum fortiter atterens
 Mentem, & recordans, quod bilingui
 Ore suum Dominum negasset.

PARODIA XX.

Ad Christianos,

Vt Christum triumphatorem cantent.

Non usitato, nec solito meat
 Ritu triumphans per liquidum æthera
 Christus: neque in terris moratur
 Longius: at moriente major
 Orbem relinquit: jam neque pauperis
 Natus parentis, jam neque quam vocant
 Peccata mundi, mortem obibit,
 Nec lapide ossa regentur ullo.
 Jamjam recurrit faucibus ex nigris
 Inferni, & album scandit in ærem
 Supernè: testanturque lætum
 Aligeri juvenes regressum:
 Jam Dædalæo ocyor Icaro
 Tranat nitentis sidera regis,
 Orbesque cœlestes beatus
 Celsi Hyperionis atque campos,
 Nunc orcus, & qui dissimulat merum
 Nigræ cohortis Tortor, & inferi
 Lugent coloni: nunc periculum e-
 vasit homo, Satanæque fraudes,
 Absint ob atras, ergo homo, noxias

Luctusque tristes & querimoniam;
 Compesce mœrorem, atque Christi
 Concine perpetuos honores,



LIBRI TERTII
 CARMINUM HO-
 RATII,

PARODIA I.

Nulla salus bello, pacem te poscimus omnes.

ODi profanum vulgus & arceo:
 Favete linguis: carmina Horatii
 Mutata Musis consecratus
 Et senibus puerisque canto.
 Regis tenebrarum agmen in impium,
 Regem hunc in ipsum est imperium Ducis
 Præclari Avernali triumpho,
 Cuncta suo arbitrio regentis.
 Est ut Duci Dux latius explicet
 Angusta regna: atque hic violentior
 Descendat in campum Tribunus,
 Viribus hic meliorque scuto
 Contendat: illi turba satellitum
Sit major: aqua lege periculum
Impendit imis & supremis.
Sæpe caput secat unius ictus.
 Bombarda stridens cui super ardua
 Cervice mugit, non Bromii liquor
 Dulcem elaborabit soporem
 Non avium citharæque cantus,
 Curas fugabunt Pacis amœnitas
 Lenis virorum non humiles domos
 Fastidit, umbrosamque silvam
 Non Zephyris agitata Tempe,
 Almas tenentem pacis opes: neque
 Tempestuosum sollicitas mare,

Nec

Nec fulminans sclopi necantis
 Impetus aut perimentis ensis ?
 Non verberatae turbinibus rates
 Austerque fallax : navita aquas modo
 Culpante, nunc miscentia Eurum
 Sidera, nunc hyemes iniquas.
 Rarum volucres aëra sentiunt,
 Structis in altum turribus. Huc frequens
 Quadrata protendit, redemptor
 Cum famulis, Dominusque belli
 Formidolosus : Martia sed cohors
 Scandit supremas Pyramides, neque
 Decedit, æratae phalanges
 Aut equitum nisi turma pellant !
 Quod si gerentem bella, nec urbium
 Nec Pergamorum ad sidera prominens
 Defendit usus, nec caterva
 Martis, Alexicacumque robur :
 Cur non cruentis cladibus & tubis
 Tranquilla pacis tempora præferam ?
 Cur pace permutem serenâ
 Militiam capitaliorem ?

PARODIA II.

Ad juventurem,
Ut studiis invigilent.

DOctas, Ephebi, Pierides sequi,
 Egressus annis stultitiæ puer
 Condiscat, ut doctus sophistas
 Vexet homo metuendus arte,
 Vitamque sub virgâ & clariis agat
 In rebus ! illum tædia temporis
 Nec tarda ne quicquam peracti
 Corripiant, & adultus ipse
 Suspiret, *Eheu ! jam rudis artium* ☞
Morum, laceffor nescius asperis
Docti cavillis, quem probata
Ad Procerum rapit ars coronam
Dulce ☞ *decorum est in studiis mori,*
Laus ☞ *peritum consequitur virum :*
Ars ornat imbellem juvenans
Moribus ingenuaq; vitâ,

*Doctus repulsa nescius aspera
 Intaminatis fulget honoribus,
 Et figit & ponit statuta
 Arbitrio populis probatò.
 Doctus per artem non meritis mori
 Thronum negatum scandit inertia,
 Cœtusque vulgares & agmen
 Spernit iners animante Musâ!
 Est & probata tuta scientiæ
 Merces vetatur, qui sacra Palladis
 Contemnit exulta, sub iisdem!
 Sic trabibus, superumque honoris
 Scandat cacumen. Sæpe novensilis
 Neglectus ordo segnibus eminet,
 Rarò antecedentem Veternum
 Deservit pede pœna claudò.*

PARODIA III.

*Commendantur primò Viri fidè clari; deinde in-
 troducitur Christus concionans de lapsu humanè
 generis, de promissione illi iterum factâ, de Ecele-
 sia amplificatione, & tandem de pœna Impiorum.*

*Iustum & tenentem salvificam fidem,
 Non Dæmonum astus prava jubentium,
 Non mortis instantis sagitta
 Mente quatit solidâ: neq; orci
 Nunquam quieti turbidus Arbiter;
 Nec comminantis Tisiphonis furor.
 Si totus irascatur orbis
 Impavidus tolerabit iras.
 Hac arte Henoch & Lamechides pius!
 Innixus arces scandit ad igneas,
 Quos inter Abramus refulgens
 Perpetuâ fruitur salute,
 Hac te nitentem fiderei, Elia,
 Vexère currus, insolitò modò
 Hinc subrahentes: hac Adamus
 Primus homò Phlegethonia fugit:
 Gratum eloquuto in consilio Dei
 Versutus infestusq; serpens
 Et mulier male cantâ trusis*

In Tartarum, ex quo deseruit Dei
 Mandata, nitens in Vetitum: mihi
 Sanctaq; dilectum caterva
 Cum sobole & patre primo Adamo
 Jam non sacrata splendet imaginis
 In mente lampas, non homini domus
 Pergrata peccatori Edenis
 Cum Variis opibus Superstes,
 Nostris Iehova sed furor igneus
 Votis resedit: protinus & graves
 Culpas & infandum piaculum
 Improba quod peperit genetrin,
 Mundo redonabo; illum ego caelicas
 Inire sedes, cernere Numinis
 Vultus, & adscribi quietis
 Ordinibus patiar ministrum.
 Dum perpes inter saeviat inferos
 Christumq; bellum, qualibet exules
 In parte cessanto quieti:
 Dum Satanas Erebusq; Christo
 Insultet occiso, atq; acuant suas
 Lingvas Iudai: surget ab inferis
 Victor, triumphatsq; diris
 Colla ferox premet altor hostis.
 Illustre late nomen in ultimas
 Extendet oras, qua medius calet,
 Qua friget axis; qua resurgit,
 Qua Pelago rigat ora Phœbus.
 Verbum docendum caelitus & datum
 Terram replebit, ducere fortius
 Quam cogere aternas ad arces
 Terricolis animante Flatu.
 Quicumq; Verbo crediderit Dei
 Hic scandet axem, visere particeps
 Qua sede regnabit Iehova,
 Qua pia caelicolum caterva.
 Sed Christianis fata cohortibus
 Hac lege dico: ne nimum sua
 Virtute fidentes perennis
 Testa velint meruisse Vita,
 Vita perennis regia lugubri
 Nati Iehova morte parabitur

Ducente spectatos triumphos
Salvifica fidei vigore.

Ter si recedat de fidei viâ

Auctore Averno, ter redeat meis

Fisus piaculis, ter quaterq;

Cæpta nefasq; homo triste ploret.

Non hæc profanæ conveniunt lyræ

Quam Flaccus aptat: scit modò inanium

Referre sermones Deorum &

Vera meris tenuare nugis.

PARODIA IV.

In qua decantantur laudes & facta heroica Gu-
stavi Adolphi Regis Suecorum &c.

Descende cælo, & dic age tibia,

Gustavi Adolphi Calliope decus?

Seu voce nunc mavis acutâ

Seu fidibus citharâve Phœbî

Tentabis? an te terret adorea

Tam clara? tentare, & placet illius

Errare per laudes celebres,

Quas & aquæ resonant & auræ;

Te bellicosæ post obitum Patris

Altricis intra limina Suecia

Regno utilem natumque bello

Vpsalia Dominum cohortes

Legere, faustum quod foret omnibus

Quicumque claræ recta *Stocholmia*,

Saltus *Nicopenses* & arvum

Pingue tenent celebris *Viburgt.*

Vt tutus hostis bellico ab impetu

Regnum teneres, ut premeres feros,

In prælium eduxit cohortes

Non sine Iovâ animosus Heros,

Gustave fortis, fortis in efferos

Moschos moveris, seu rigidum tibi

Augdovium, *Plescovia* ubi bis

Seu gelidi placuere fines.

Suecis amicus *Cimbricus* ut fuit

Rex, te *Livones* vertis ad asperos,

Non te furens retraxit unda,

Non *Sveonum* vetus illa clades.

Vt-

Utcunque clangunt classica ; fervidos
 Duna furentis navita disseccas
 Fluctus & atroces *Rigenses*
 Marte domas metuendus ultor.
 Visis *Boruffos* pace bonâ pigros,
 Urbesque multas impiger occupas,
 Visis pharetratos *Polonos*,
 Sarmaticum inviolatus agmen.
 Tu *Cæsarem* altum, sævitiâ simul
 Fessas cohortes abdidit oppidis,
 Finire nolentem labores,
 Marte potens adoriris æquus:
 Tu fers amicis auxilium, & pio
 Succurris orbi, scimus ut impiam
Fernandus immanemque turbam
 Miserit insolito furore.
 Magnum illa terrorem intulerat piis,
 Jactans juvenus horrida *Cæsarem*
 Ducesque tendentes *Papatus*
 Dogmata constabilire falsa.
 Sed quid *Savellus*, *Gotzius*, *Isolan*.
 Aut quid minaci gutture *Capua*,
 Quid *Sparrus*, ejectusque rota
Griphiadum regione *Contus*,
 Contra gerentem prælia *Numinis*
 Possent ruentes? hinc *Nemesis* stetit
 Innoxiorum, justa causa &
 Tandem animo positurus iram,
 Qui rore diras sanguineo lavit
 Noxas suorum, qui finit impios
 Sævire, præfigitque metam
 Arbitr & pius orbis ultor.
 Vis in *Iehovam* mole ruit suâ
 Vim comminutam provehit *Et Deus*
 In majus: idem oditq; vires
 Omne nefas animo moventes.
 Testis mearum Marte potens *Senex*
 Sententiarum notus, & integræ
 Vastator atrox *Magdeburgæ*
 Vi Gothicâ domitus minore.
Misena cæsis terra dolet viris,

Mærerque diro funere luridum
 Missos ad orcum; nec pererrat
Saxonia ferus hostis agros;
 Incontinentis nam *Tily* ferus
 Resedit æstus, sævitix luens
 Pœnas: triumphantem novenæ
 Usque *Gothum* recinent *Camœnæ*.

PARODIA V.

Continet laudes Christi Victoris Mortis
 Et Satana Et c.

Busto reversum suscipimus Ducem
 Cantare, qui nunc vivus ovat, secus
 Quàm Cæsar, attritis superbis
 Hostibus & stygiis catervis,
 Liſtorne Ditis compede perpeti
 Adæ nepotes stringet? & hostium
 (Proh dedecus magnumq; probrum!)
 Ira premet Stygiorum iniqua,
 Sub rege Averni terrigenum genus
 Solatiorum, Numinis ac opis
 Expers, & æternæ salutis,
 Incolumi styge & arce Ditis?
 Hoc cavit ingens Filii amor Dei
 Dissidentis conditionibus
 Duris, & æternam fugantis
 Perniciem rediens ad auras.
 Nam ne periret immiserabilis
 Humana proles. *Signa ego Tartari*
Refixa speluncis, Et arma
Regi Erebi haut sine strage (dicit)
Erepta gesto: Solvi ego civium
Retorta tergô brachia liberô,
Portasq; fregi Inferni Et antra
Dira Stygis populata squalent.
Probro repressus scilicet acrior
Damon redibit? flagitio additum est
Damnum, neq; amissas parabit
Nec referet medicina vires.
Nunc Vera cunctis cum rediit salus,
Sit cura poni sedibus ætheris:

*Si tentat intricare Damon
 Fraude meos, erit ille fortis,
 Qui credit uni se mihi, funditus
 Hostes fide almâ proteret inferos,
 Qui fœda peccati venena
 Sentit inops metuitq; mortem,
 Hinc unde vitam sumat & hauriat
 Cura levamen, repperit. O Satan!
 O mors tuum damnum dolendâ
 Fœditus est hominum ruinâ!
 Fertur prioris grande probrum status
 Formamq; servi, ceu Dominus necis
 A se removisse & sacratum
 Corpus ad astra levasse celsa.
 Solatio sed Discipulos prius
 Firmavit auctor sæpe alias dato,
 Interq; mœrentes amicos
 Ad superam properavit aulam.
 Non nesciebat, quam sibi gloriam
 Pater parasset, non aliter tamen
 Reliquit astantes propinquos
 Et socios abitum morantes;
 Quam quiredibit cuncta negotia
 Dijudicatum cœlicus arbiter,
 Tendens plagas cœli per altas
 Cœruleas penetransq; nubes.*

PARODIA VI.

*Ad Germanos de moribus sui seculi cor-
 ruptis, & cladibus illorum.*

POenas malorum jam meritis luis,
 Germane, donec templa refeceris
 Ædesque labentes Jehovæ &
 Corda malis temerata factis:
 Pius se benignum nam Deus exhibet;
 Huic crede rerum principium, exitum,
 Is multa neglectus rependit
 Teutonia mala luctuosa.
 Iam sæpe Casar cum Bavarum manu
 Non auspiciatos contudit impetus

Nostrorum, & ejecisse regnis
Austridos armigeros renidet,
 Pœne occupavit Teutonicas ferox
Fridlandus oras, *Tillius* & vafer:
 Hic arte formidatus, ille
 Sævitia celebris furente.
 Fœcunda culpæ secula tot graves
 Plagas pararunt, noxaque Teutonum:
 Hoc fonte derivata clades
 In patriam populumque fluxit.
 Mores doceri respuit optimos
 Vernans juventa, & cernitur impia
 Jam nunc: & armorum furorem
 De tenero meditatatur ungui.
 Mox & parentum spernit atrocior
 Inter sodales iussa: neque audit hunc,
 Qui format immansueta recte
 Pectora dogmatibus probatis.
 Sic crimen ingens non sine conscio
 Patrat *Jehovâ*: seu meretrix vocat
 Seu fraudis inventæ Magister
 Et scelerum vitiosus auctor.
 Non his juvenus perdita moribus
 Ejecit hostes finibus *Ital*is,
 Hunnosque & illustrem cecidit
Quintilium *Aufoniasq;* turmas.
 Sed sanctiorum pristina Teutonum
 Proles *Jehovæ* docta salubribus
 Parere iussit & sacratæ
 Legis ad arbitrium feroces
 Mutare mores: ver ubi floridum
 Ætatis esset vel senium foret
 Membris fatigatis; honestas
 Semper ad ardua agebat omnes.
Corrupta quid non secula perpetrant!
 Germana virtus heu fuit! en vigens
 Nunc nequiores, educantque
 Progeniem vitiosorem.

PARODIA VII.

*Ad Virum Nobilissim. Ampliss. & Consultiss.
Dn. Henningum VVegenerum, V. I. D. & Con-
sulem Palaopolitanum Regiononti, ob obitu
Vxorū lugentem, Anno 1628. 23. Martij*

Quid fles, Urbis Honos, quam tibi prapotens
Summā restituet luce poli fator,

Omni ex parte beatam

Cinctam coelicolūm choris

Uxorem? illa piis cœtibus addita

Post exhausta crucis pocula, prosperas

Luces non sine multis

Felix deliciis agit.

Atqui sollicitum mors cita conjugis

Suspirare Virum, tum sobolem sua,

Dicis, matre carere

Annis in teneris facit?

Sic & chara Rachel Isacidæ pio

Summæ causa fuit tristitiæ, nimis

In partu sobolis cum

Maturare necem, videt.

Nulli mors etenim parcere scit fera,

Ædes magnificas nec fugit abstinens

Et florere volentes

Annos Nestoreos perunt

Frustra: Nam scopulis furdior Icarī

Voces spernit atrox supplicis. At tibi

Ne pectus dolor ingens

Plus justo cruciet, cave:

Quamvis vix alius plangere desinet

Æque concutitur quando doloribus

Nec quisquam grave cordis

Vulnus conteget anxii.

Toto corde Deo fide, neque in malis

Spem firmam querulis abjice pectoris:

Non se saepe Vocanti

Præbet difficilem Deus.

PARODIA XIX.

Ad Christum pro felice anni 1632.

auspicio.

C. S. h.

Pro.

AR.

Proximis Jani quid agam Calendis:
 Quid velint versus & aperta mentis
 Vota, novisti, gemitusque fusi
 Supplice corde.

Christe Servator columenque nostrum,
 Voveram vitæ melioris annum,
 Et novos motus ope destitutus
 Sub crucis æstu.

Hic dies anno redeunte festus
 Crimini infectum jubet innovare
 Pectus & noxas fugere execrandas
 Auspice flatu.

Sume, Servator, placitum ministri
 Supplicis votum & vigiles querelas
 Perfer ad patrem, procul omnis esto
 Æstus & ira.

Mitte flagrantem super orbe bilem:
 Occidit clarus Sveonum Monarcha,
 Teutonum coetus sibi luctuosus
 Dissidet armis.

Sævit Hispanæ vetus hostis oræ,
 Papa credentem furit in catervam,
 Et Scythæ stricto meditantur ense
 Cædere Sanctos.

Ne tuus, credens populus laboret,
 Parce bile atrâ nimium calere &
 Tolle præsentis mala mitis anni, ac
 Redde secunda.

PARODIA IX.

*In nuptiis secundis M. Isaaci Halbachij Diaconi
 Veteropp. & Catharine Rencckelin / Anno
 1628. 10. Julij celebratis.*

*Colloquium Sponsi cum priore Vxore.
 Defuncta.*

UXor donec eram tibi
 Non quæquam potior brachia candido
 Collo virgo tuo dabat,
 Dilectæ titulum sola habui tuæ,
Sponsus.

Donec non latere à meo

Cessisti, neque mors te fera surpuit,
Unius tui amoribus

Gaudens alterius non petii torum:

Defuncta.

Me nunc celsa poli tenet

Arx, & lætitiâ perpetuâ fruor:

Pro qua non cupiam solum,

Si mundo facerent fata superstitem,

Sponsus.

Me torret face mutuâ

Henrici Catharis filia Kenckels,

Cum qua vivere perplacet,

Donec nos facient fata superstites:

Defuncta.

Ergo prisca redit Venus,

Vos ambosque jugo cogit ahenco?

Et sic excutitur dolor,

Optatiq̄ue patet janua gaudii?

Sponsus.

Quanquam lumine charior

Sponsa est tu proprior fideribus, piis

Atque addicta cohortibus,

Tecum vivere amem, te referam memor.

PARODIA X.

Ad Christum, ut positâ irâ pijs supplicibus parcat,

UT majus mereat supplicium, Dei

Filii nostra salus; non tamen asperis

Cœtum Christicolarum objicere hostibus

Pergas & cruciatibus.

Audis, quo gemitu gens pia, queis gravis

Inter dura crucis fata remugiat

Votis: & populos ut cruciet tuos

Durâ compede Pontifex?

Ingratam miseris pone ferociam

Ne vexante animos abjiciant cruce:

Te non Antiochum difficilem piis

Æternus genuit parens.

O, quamvis neque te munera, nec preces;

Nec tinctus lacrymis vultus amantium.

Nec

Nec vir iustitiæ clarus adorea
 Placat: supplicibus tuis
 Parcas, nec rigidam iustitiam exsere,
 Sed cœtus miseros mitior assere.
 Nec sis usque memor criminis aut gravis
 Delicti ultor atrocior.

PARODIA XI.

Ad Spiritum S. pro renovatione cordis.

Spiritus, (nam te monitore quondam
 Liquit Abramus statuas profanas)
 Fons novæ vitæ, renovare fortis
 Pectora donis.

(Nec ferox olim, neque durus; & nunc
 Supplicum cordi peramicus hospes)
 Dic modum, quo mens mea perpetrata
 Defleat orsa.

Quæ velut latis equa trima campis
 Gaudet erratis, renuitque duci
 Motibus sanctis, & adhuc protervis
 Dedita factis.

Tu potes duras rigidasq; mentes
 Flectere & noxas scelerum lavare;
 Cessit injustum tibi cor moventi
 Perfidus ille

Petrus; is quamvis sociale Christi
 Abneget mendax caput innocentis;
 Spiritus falsus levitasq; manet
 Ore bilingui.

Quin & infectus vitiis Manasses
 Flevit errores: stetit ecce Paulus,
 Voce dum magna Dominus furorem
 Arguit ejus.

Audiant pravi scelus atq; notas
 Divitis pœnas Epulonis, undæ
 Guttulas flammâ cupientis imâ;
 Diraque fata

Quæ manent culpas etiam sub orco,
 Impii! (nam quid potuere majus?)
 Impii, Christi potuere sancta
 Spernere iussa.

Unus ex multis face sulphurata

Toftus, Abramum fuit in parentem
Serò jam supplex, & in ignis atri
Garrulus æstu.

Mitte, (qui dixit Tharidæ beato)
Mitte, qui potum mihi porgat, unde
Lingua frigescat, simul ad scelestos
Mitte propinquos ?

Qui velut nacti vitulos leones
Pauperes (eheu!) cruciant: ego illos,
Perditus, ne se scelerent, nec intrent
Claustra, monerem.

Me, Pater, flamma cruciant Gehenna,
Quod viro micæ misero negasti;
Me choris propter scelus à beatis
Iova relegat.

Lazarei, quo scis habitant propinquè
Dum manet lux his brevis: i secundo
Omne & nostri memora doloris
Quæso querelas.

PARODIA XII.

Ad Peccatores ut pœnitentiam agant, quia Chri-
stus peccata tollit & Diabolum vicit.

Miserorum est; neque honorem dare Jovæ,
Neque Christi mala letho lavere; aut ex-
animari metuentes Satanæ verbera linguæ.
Tibi sordes sacro - sanctæ liquor undæ,
Tibi noxas sce'erosiq; reatus (almus
Vitiû aufert, Homo peccans, Patris almi puer
Herus ipso potior Dæmone diro,
Neq; vitâ, neq; tristi nece victus, (tris
Simul hostes tenebrosis stygios stravit in an-
Bonus idem scelus ingens lacrymantes
Bonitate ex celebranda miserari, &
Potis alto resipiscentem hominè suscipere axe.

PARODIA XIII.

Ad Christum, cui offert cor contritum & sa-
latium ab eo sperat.

O Sol justitiæ, splendidior vitro,
Grato digne metro, non sine sordibus
Cor donabitur ægrum,
Cui mors parcere nescia

Ullis, & tenebras & mala destinat
 Frustra: namque tuo purpureo à malis
 Lautum est sanguine pectus,
 Æterni soboles patris,
 Hinc flagrantis atrox ignis Erinnyos
 Nescit tangere: tu frigus amabile
 Turbæ crimine puræ
 Præbes & populo tuo.
 Fiet nobilior sic tua gloria
 Me dicente tuæ munera gratiæ
 Immensæ: unde piorum
 Sordes aufugiunt malæ. 1

PARODIA XIV.

*Continet laudes Christi ex sepulchro devictis
 omnibus hostibus resurgentis.*

S Amsonis ritu modo, dictus, ô plebs,
 Morte quæsitam retulisse laurum,
 Christus infernis redit ex cavernis
 Victor ad auras.

Cœlico gaudens pia gens triumpho
 Prodeat, justis operata sacris,
 Et parens Christi Ducis, & maritæ
 Supplice vittâ:

Inclyti Patres veterumque vatuum
 Concio; vos ô juvenes, puellæ
 Et viri sancti, Domini potentis
 Pangite laudes.

Hic dies verè mihi festus omnes
 Eximit curas: Ego nec Gehennam |
 Nec stygis Regem metuo, tenente
 Sidera Christo.

I, pete emplastrum Satana, & medelam,
 Et modos hujus memores duelli:
 Spiculum si quod potes in Jehovaham
 Figere tenta.

Dic & ardenti properet Gehennæ
 In Deum diras aperire fauces,
 Si per invisam mora mortis umbram
 Derur, adesto.

Stravit infernas Dominus catervas,

Cladis humanæ cupidas necisque ;
Non ego hunc ferrem super astra celsa
Carmine sacro ?

PARODIA XV.

In Momum indoctum.

EXpers artis & ingeni,
Tandem stultitiæ pone modum tuæ
Insanisque furoribus,
Inculto rudior desine caudice
Sacras spernere Virgines,
Et doctis maculam aspergere literis.
Non, si quid celebres viros
Et te, Mome, decet. Crimina rectius
Agnoscit sapiens homo,
Præstans Pallas uti præ Pale rusticâ,
Illum cogit amor boni
Communis celebres edere codices :
Te curvæ penes asperos
Falces rurícolas, non calami decent :
Nec laus iudicii gravis,
Nec doctas stolidum carpere paginas.

PARODIA XVI.

*Ad M. Ioachimum Babbatium templi cathedra-
lis Regiomonti Archidiaconum.*

Deus resistit superbis, humilibus dat gratiam.
NEbucadnesarem turris ahenea
Robustæque fores, & Babylonix
Muri tergemini munierant fati
A crudelibus hostibus :
Si non magniloquum pectoris impetum
Et flatum tumidum cœlicus Arbitet
Risisset ; fore enim mentem humilem & piam
Converso in pecudem Viro,
Fastus per medios ire satellites
Et conscendere amat celsa, velut vapor
Fumans astra petit : concidit efferus
Ægypti Dominus rubro
Submersus pelago : contudit impios
Conatus Goliæ & proruit arduam

Mo.

*Molem Iesiades: Vana superbia
Claros illaqueat viros.*

*Turgentem sequitur pœna superbiam
Eventusque malus: jure perhorreo
Latè conspicuum tollere verticem
Babbati, decus ô meum.*

*Quantò quisq; sibi vilsior & minor,
Tantò major erit. Parva petentium
Parvus castra peto, & transfuga atrocium
Partes linquere gestio:*

*Contemta Dominus splendidior rei,
Quam si, quicquid habet Cræsus & Attalus
Aptavisse meis dicerer artibus
Pictas inter aves avis.*

*Fastus pectus amans, pompaq; Principum,
Magnorum, & celebris gloria nominis
Fulgensque imperium præcipiti Africo
Transit sæpè fugacius.*

*Quanquam nec Proceres dona ferunt viri,
Nec vestis Tyrio murice brachia
Exornet mihi, nec turgida Persicis
Splendent tempora pileis:*

*Opportuna satis vestis adest tamen,
Quæ si pura modò est, non peto purpuram
Servatâ melius namq; modestiâ
Vera encomia colligam;*

*Quam si grandiloquis fastum animi irritum
Verbis commemorem. Magna petentibus
Obsunt magna; bene est, qui minor expetit
Iusto, quod tenue est, modò.*

PARODIA XVII.

*Ad genus humanum, quod ob mortalitatem à
peccatis debortatur.*

GENS orta rubrà flebilis ex humo
(Quando & priores hinc homines ferunt
Denominatos, & nepotum
Per memores genus omne fastos,) **A**uctore ab illo ducis originem,
Qui mortis olim crimina scribitur
Expers & æternam nepotum
Mentibus ingenerasse mortem

Latè

Late furentem : ceu foliis nemus
Multis & algâ littus inutili
Dimissa tempestas ab Euro
Sternit ; ita undique sternit omnes
Vis mortis atrox : dum potes impios
Depone mores ; sic Domino necis
Placebis & vives in ævum
Cum Geniis scelerum solutis.

PARODIA XLIX.

Ad Christum pro felici novi anni auspicio.

CHRISTE, peccatum fugientum amator,
Ad meos questus & amica vota
Promptus accedas, abeasque noxæ
Ultor iniquæ,
Dum novus pleno redit annus orbe,
Larga non desint soliti favoris
Dona terrenis, gravis ira dolci
Cedat amori.

Gaudeat toto genus omne mundo,
Pacis optatæ redeant Decembres ;
Verus in templis vigeat sacrati
Dogmatis usus.

Conjuges inter favor erret omnes,
Proferat tellus benedicta fruges,
Cesset electæ nocuisse genti
Rector averni.

PARODIA XLIX.

*Ad Virum Rever. Clariss. Doctis. Dn. Bernhar-
dum Derschoviuum SS. Theol. Doctorem, Ecclesia-
stem Regiom. Palaopolitanum, Consistorij Sam-
biensis Asses. &c. Fautorem & compatrem
suum colendum, Passionem Christi ex Psal.
22. Anno 1633. explicantem.*

Laudantur ejus labores, & insania eorum, qui
Bacchanalia celebrant, reprehenditur.

Quantum distet ab Hercule
Christus pro vitiis non timidus mori
Narras, & genus Ifaci
Et confixa sacro membra sub oppido :
Quo vitam pretio poli
Mercemur ; quis opem proferet optimam,

Quo

Quo præbente polum, Stygis
 Æternis caream suppliciis doces?
 Dant totos Bromio dies
 Dant noctis medium, qui celebrant sacra
 Lenæi? tribus aut novem
 Miscentes cyathis jurgia grandibus,
 Qui sedes amat ætheris
 Fœdos thyrsiferos attonitus videt
 Mystes. Tot prohibet scyphos
 Infernum minitans tangere maximus
 Bacchi Jova sodalibus
 Insanire juvat? cur sacra cœlica
 Tangis flumina gratiæ?
 De Christo titulum cur tibi vendicas?
 Gentiles ego ferias
 Odi. Linque nefas; audiat inferus
 Bacchantum strepitum Deus
 Et funesta Ducis Tartarei domus.
 Albâ tu nitidum rogâ
 Multo sanguineum, Vir pie, vulnere
 Christum nunc memoras Deum,
 Et mœstus Domini fata doles tui.

PARODIA XX.

Ad M. Martinum Volderum Diaconum Re-
giom. Voteropp. Compatrem & amicum
honorandum, enormia mundi vitia
pro concionibus taxantem.

Non vides quanto moveas periclo,
 Docte Vir, Iernam scelerum & malorum,
 Fœda dum mundi reprehendis audax
 Crimina doctor.
 Cum per obstantes hominum catervas
 Spargis æterni sacra grana Verbi;
 Grande certamen tibi ab orbe surgit
 Et Duce Averni.
 Interim, dum tu pia tela Legis
 Promis & dentes acuunt maligni;
 Arbiter mundi tibi destinasse
 Denique Palmam
 Fertur, & sacro recreare Verbo

Pres-

Pressum in humanis animum cavillis,
Qualis aut Paulus fuit, aut Helias
Raptus ab orbe:

PARODIA XXI.

Ad Christum pro renovatione cordis.

ONate castâ virgine Mariâ,
Seu tu querelas, sive cupis preces,
Seu cordis ardentis amores,
Seu Fidei, pie Christe, flammam.
Quocunque fracti pectoris impetu
Gaudes, vocari digne bono die,
Attende, corde ægro volente
Promere langvidiora vota.
Ne, Christe, quanquam criminibus scater
Ingentibus, cor negliges fervidus;
Narratur & mœchi Davidis
Triste tibi placuisse carmen.
Tu lene fomentum ingenio admoves
Plerumque tristi, tu lachrymantium
Curas & arcanum salubri
Cordolium relevas medelâ.
Tu spem reducis mentibus anxiiis,
Viresque & indis robora pectori,
Post te, neque horrendum trementi
Antrum Erebi, neq; Dæmonum iram.
Nam liber omni crimine pœnitens
Post hæc habebit munera gratiæ,
Vitamque producet beatam,
Dum Dominus reget astra Christus.

PARODIA XXII.

Ad Christum pro liberatione à peccatis.

Mentium custos, inopumque rupes,
Qui laborantes, onere & gravatos
Promptus exaudis, adimisque letho
Christe biformis.
Pessimæ culpæ grave pondus aufer,
Quod per exactos magis crevit annos,
Cordis & fordes medicante cuncta
Sanguine purga.

PAR.

PARODIA XXIII.

Ad juventutem scholasticam.

*Commendantur studia liberalium artium
earumque usus ostenditur.*

OMnes Camenis si dederis dies
Ætate primâ, flos juvenum tener,
Si dogmate ornaris & aptâ
Arte caput studiisque doctis:

Nec doctiorum sentiet impetum

Ætas virilis, nec tituli sui

Caliginem, aut tandem dolebit

Decrepitis rude pectus annis.

*Nam quæ probatis quaritur artibus**Victura, quercus inter & illices**Non crescit in silvis Bohemis**Gloria, sed studio paratur**Cultis Lyceis. Te quoniam decet*

Versare multâ nocte bonos libros

Nomen requirentem celebre

More bono vigiliq̃ue curâ.

Solerter artes qui didicit bonas,

Non sumptuosâ gratior hostiâ

Mollibit iratos tyrannos

Voce gravi & sapiente lingvâ.

PARODIA XXIV.

In divites indoctos.

*Divitia sine doctrina parum prosunt.***S**electis opulentior

Thesauris Arabum & divitis Indiæ

In thecis licet ocellas

Argentum omne tuis atque pecuniam;

Si mittit minus obvios

Pluti mancipiis dura necessitas]

Casus; non animum metu

Non fortis nebulis eripies caput.

Exculti melius viri

(Quorum labra scatent Castaliis aquis)

Vivunt, arteque præditi

Exquisita quibus dogmata liberas

Linguas & Sophiam ferunt;

Et cultura placet mitior ingenis.

Des

Defunctosque laboribus
 Æterna celebrat laude Sophum chorus.
Illic are carentibus
Doctis pauperiem temperat ars proba,
 Et divina regit viro
 Pallas nec nitidos quærit adulteros,
Merces Vera Scientium
Ars est decorans docti hominis caput
 Grato munere laurea,
Et, nescire nefas, aut pretium est pudor.
 O quisquis volet arduas
 Laudes, & celebris vivere perpetim;
 Si quæret Pater artium
 Inscribi tabulis, ingenuam audeat
 Affectare scientiam
 Clarus post genitis; quatenus (heu pudor!)
Doctrinam incolumem odimus,
Sublatam ex oculis quarimus anxii;
 Quid crescens opulentia,
 Si non ingenio fama parabitur?
Quid nummi sine literis
Vani proficiunt? si neque maximis
 Vir dignatus honoribus
 Mundi, veri hominis legitimum decus
 Durantesque subinde opes
Vnquam possideat? Cuncta pecunia
Vincunt pondera litera.
 Excultus studiis vir clariis potest
 Quidvis & facere & pati,
 Virtutisque viam corripit arduæ.
 Vel nos in penetralia
 Quo princeps vocat, & turba potentium,
 Vel nos in mare proximum
Gemmas & lapides, aurum & inutile
Cuncta materiam mali
Mitemus; proprium si decus expetis,
Inquirenda scientia
Vera sunt documenta, & tenera nimis
 Mentis nobilioribus
 Formandæ studiis Sortis opes vagæ

Infidæ ingenuus puer
 Venari caveat; discere promptior
 Seu Græcos doceas libros
 Seu formes Latii pectora litteris.
 Sic perjura malæ fides
 Cum fortis faciem mutat amabilem,
 Instructus sapientiâ
*Casum omnem tolerat: nam licet improba
 Cedant divitiæ, tamen
 Docto scire suum semper adest viro.*

PARODIA XXV.

*Ad Christum, apud quem peccatores solatium
 inveniunt.*

QVo me, Christe, feram mali
 Plenum? quæ in nemora, aut quos fugiã
 Pressus mole gravi? quibus in specus,
 Antris ob maculam criminis occular,
 Æternam meditans facem
 Inferni effugere & supplicium Stygis?
 Poenas cor vitiis meum
 Infectum trepidat: non secus in jugis
 Desertus stupet hinnulus
 Casses prospiciens, & cane concito
 Venantem, ac jaculo levi
 Figentem lepores, Ut mihi vulnera
 Christi & sanguineum latus
 Rimari juvat! O Dæmonii potens
 Inferniq̃ue, valens malas
 Radices scelerum vellere cordibus!
 Non aurum ac decus inclytum,
 Sed mundum rogo cor: Dulce levamen est
 Ore, Christe, sequi, Deum
 Reddentem misero gaudia pectori.

PARODIA XXVI.

*Ad Dn. Fridericum Grunenbergium à functione
 scholastica ad Ecclesiam Pilloviensem vocatum.*

Vixti Lycéo nuper idoneus,
 Et militasti non sine gloria,
 Nunc arma, defunctumq̃ue Iudo
 Credula turba Jehovæ habebit

Oram

Oram ad marinam, Pillovius tenet
 Quam portus, hic hic dogmata proferes
 Cœlestia & tractabis artes
 Oppositas Stygio Draconi.
 O, qui beatum summe tenes polum &
 Omni carentem tristitia domum,
 Jehova, cœlesti vigore
 Firma animum famuli docentis.

PARODIA XXVII.

*Ad Impios, quos ad pœnitentiam hortatur, præci-
 pue exemplo Maria Magdalena.*

Impios Jovæ revocantis omen
 Flectat, & legis rigor, aut in atro
 Pœna perversis barathro luenda
 Morsq; perennis.
 Linqvat & pravus scelus execrandum,
 Si perennantes similis beatis
 Expetit plausus. Ego sic monebo
 Providus auctor,
 Antequam vultus referet sacratos
 Omnium Judex hominum severus,
 Impiam turbam prece suscitabo
 Criminum ab orsis.
 Sis licet felix aliquando in orbe,
 Nec memor Christi, mala turba, vivas;
 Teque nec lævæ premat ira sortis,
 Nec vaga cura.

Sed vides quanto moneat favore
 Christus errantes? Ego quid sit ater
 Tartari, novi, Deus; & quid almus
 Poscat Jesus.

Plurium mentes animique sanctos
 Sentiant motus renovantis auræ &
 Enthææ legis fremitum, & minantes
 Verbera Dias.

Sic & errati pia Magdalena
 Postulat Christum veniam, & scitentem
 Noxiis fontem, veteresque sordes
 Pallida luget.

Nuper in iustis studiosa amorum &

Blanda projecti meretrix pudoris
 Nocte fallaci nihil æra præter
 Fœda poposcit.

Quæ simul Christum tetigit benignum
 Fletibus noxas: Deus ô relictum
 Filia nomen, pietasq;, dixit
 Victa furore.

Vnde! quo Veni? levis una mors est
 Virginis culpa: sine fine ploro
 Turpe commissum, & vitis scatentem
 Terret imago

Dira, qua portâ Veniens Averni
 Exigit pœnas. Melius fuisset
 Flere delictum grave, quam pudendos
 Carpere amores.

Sed quid infamen querulis juvenam
 Lugeo verbis? renovare vitam &
 Flectere enitar modo concitati
 Numina Iovæ.

Impudens liqui sacra scita Legum,
 Impudens orcum metui: ô benigne
 Christe, qui hæc audis, utinam inter errem
 Sancta beatos!

Antequam mortis facies rubentes
 Occupet malas, Erebiq; Rector
 Auferat prædam, vitiosa quero
 Vivere Christo.

Vile scortillum, Deus urget orci
 Quid mori cessas? potes hac ab ulmo
 Pendulum resti bene preparatâ
 Ladere collum;

Sive te rupes & acuta letho
 Saxa delectant: age te furenti
 Crede Neptuno; nisi triste mavis!
 Cernere fatum,

Quod parat tortor, rigidig; tradi
 Carceris umbris. Aderat querenti
 Fletibus gaudens Mariæ remissâ
 Filius ira.

Mox ubi dextrâ levat: Abstinete
 Fletuum (dixit) querulæq; Vocis,

En

Par

Mi

Dis

Ad

F

Cl

Inc

Par

No

Tu

Su

Su

Ad

Ve

A

Nu

Ne

En



En tibi oranti Veniam remittit

Crimina Christus.

Pœnitens nunquam patitur repulsam;

Mitte singultus; mala perpetrare

Disce jam nunquam; tua sanguis insons

Crimina purgat.

PARODIA XXIIIX.

Ad M. Urbanum Lepnerum Archidiaconum Ve-
terroppid. natalem celebrantem.

Festo quid potius die

Urbani faciam? prome novum melos

Cleio Pieridum decus.

Dilectæque adhibe vincula dexteræ.

Inclinare meridiem

Sentis, ac veluti stet volucris dies

Parcis concipere optimo

Pro fautore precès votaque prospera;

Nos cantabimus invicem

Urbani facilem munificentiam.

Tu blandâ recines Chely

Brigittam, ac epuli fercula splendidi,

Summo carmine, quo Deus

Fautoresque tegat cœlitus, ac eos

Summis maectet honoribus.

Dicetur merito laus quoque carmine.

PARODIA XXIX.

Ad Dn. Albertum Ionam, Senatorem Reipubl.
Veterop. pro tempore Provisorem Templi &
Scholarcham, celebrantem natalem,
Anno 1628. exhibita.

Alberte Iona, dulce meum decus,

Non ante missum lene metrum tibi,

Pro more laudato & recepto, &

Vincla tuis manibus parata

Nunc denique adsunt: Accipe suaviter

Nec semper Urbis sat miserum statum

Et patriæ perpende damna, &

Pestiferi mala multa belli;

D d 2

Eu-

Curas edaces excute pectore,
 Mentem obtegentes nubibus horridis;
 Omitte mirari protervi
 Nequitiam strepitumq; vulgi.
 Plerumque gratæ languidulis vices,
 Doctæque justo tempore tristibus
 Musæ sine ornatu superbo
 Sollicitam explicuere frontem.
 Jam clara puram fax Hyperionis
 Ostendit auram; jam volucres canunt,
 Ac aura conspirat Favoni
 Vere dies referente lætos.
 Jam pastor herbas cum grege roscidas
 Gramenque lætus quærit, & arborum
 Fronde virentes; personatque
 Ripa celeusmate navitarum.
 Tu civitatem quis deceat status,
 Curas, & urbi sollicitus times,
 Quid Suecus & gentis Polonæ
 Arma parent populusque discors.
*Prudens futuri temporis exitum
 Disponit unus pro placito Deus,
 Ridetque, si mortalis ultra
 Fas trepidat. Quod adest memento,*
 Perferre fortis; cætera Numinis
 Nutu reguntur, nunc cruce sub gravi
 In pace servantis fidele,
 Nunc rabidos perimentis hostes.
 Urbesque claras, & procerum domos
 Plectentis una, non sine prævio
 Terrore, sat justâque causâ,
 Cum fera sævities quietum
 Irritat agmen; jova potens suos
 Servare novit. Cui licet in malis
 Dixisse, credo: mors vel atra
 Funere me perimat suæto,
 Vel vis tyranni; non tamen à Deo
 Cui fido soli pelliciet, neque
 Infringet, infectumque reddet,
 Quod mea mens semel approbavit,
 Non blandientis calliditas Papæ

Men-

Mentem innocentem fallere pertinax,
 Mutabit à veræ salutis
 Tramite, dante Deo vigorem,
 Laudabo Iovam; si repetit bona
 Et dona vitæ, quæ dedit, & meâ
 Virtute me involvam, probamque
 Pauperiem sine dote quæram.
 Tunc est meum, si sæviat impiis
 Bellator armis, ad solidas preces
 Decurrere, & votis pacisci,
 Ne Sathanæ rabiesque mundi
 E mente veram surripiant fidem.
 Sic me potentis præsidio Dei
 Tutum plagas cœli per altas
 Sancta feret manus Angelorum.

PARODIA XXX.

*Ad manes Gustavi Adolphi, Regis Suecorum
 quondam piissimi, fortissimi, felici-
 cissimi, &c.*

Liquisti monumentum ære perennius,
 Mortalisque viri laude celebrius,
 Quod nec Papa ferox, aut Aquila impotens
 Possit diruere, aut intolerabilis
 Hispani rabies, aut fuga temporum.
 Non omnis moreris; multaque pars tui
 Evitat tumulum; semper enim inclytâ
 Cresces laude recens, donec ad arduum
 Scandet cum Domino credula gens polum.
 Diceris fluvius qua strepit Albido,
 Et qua dives aquæ Danus alacribus
 Dar leges populis; ex humili, potens
 Princeps Casareum robur & Italos
 Debellasse Duces. Accipe lauream
 Quæsitam meritis, & fruire optimâ
 Cœli lætiâ Rex celeberrime.

PARODIÆ IN LI-
BRUM QUARTUM
CARMINUM HO-
RATII.

PARODIA I.

Detestatio belli & pacis petitio:

Sic Bellona nocentia
Semper bella moves! parce, precor, precor,
Jam sat gens pia flebili
Sub bello premitur. Desine turpium
Mater fœda libidinum
Iam tot lustra gregem perdere pessimis
Electum imperiis. Abi
Quo fœdi scelerum te revocant Patres,
Inclementius in domo
Regis flagitiis dedita pessimis,
Debacchabere Turcici:
Si vastare solum quæris idoneum.
Namque & perfidus & ferox,
Et Christi sociis non placidus piis,
Et Blasphemus in æthera
Iamdudum meruit sævitiam tuam,
Rectoremque superbior
Sanctorum spoliis ridet Olympicum:
Euxini prope littora
Ponti castra loca ad tecta Bisantii.
Illic plurima sacculis
Condes æra: Thracumque & Mahumeticæ
Delectaberis agminis
Amplis exuviis non sine gaudio.
Illic ter pedites die
Numen Threiceis œnophoris tuum
Quærentes male sobrii
In morem Lapithum, ter rabiem bibent.
Me nec prælia, nec cruor
Iam nec spes spoliū credula bellici,

Nec

Nec certare juvat mero :
 Nec vastare novis oppida cædibus.
 Sed cui, heu ! bone Christe, cur
 Manat vana meas lacryma per genas.
 Cur effusa pii agminis
 Inter bella carent vota potentia ?
 Non fictis ego questibus
 Iam pacem repeto: te placidum precor,
 Aufer prælia Martia
 Mundo, redde vices pacis amabiles.

PARODIA II.

*Ad Clariss. & Experientiss. Virum D. Georgium
 Lothum, Medicinæ Doctorem, & in Academia
 Regiom. Professorem publ. Serenissimi Electoris
 Brandenburg. Archiatrum, Poëtam eximium:
 Psalmodyam Davidicam it. Quadruplex
 Christi iter Euthanasiam publi-
 cantem.*

DAVIDIS dum tu citharam æmularis
 Lothe, divinis ope Præpotentis
 Niteris captis, trifido daturus
 Nomina mundo,
 Monte decurrens velut amnis imbres
 Quem super notas aluere ripas
 Fervet, Hebræusque ruit profundo
 Ore Propheta ;
 Laureâ donandus in arce cœli,
 Sive ob atroces querulus tyrannos
 Vota profundit, scelerumque amicis
 Fata minatur,
 Seu Deum Christumque canit, Iehovæ
 Filium, per quem cecidere magnâ
 Strage gens Orci : cecidit tremendi
 Ira Draconis.
 Sive quos post fata domo reponit
 Jova cœlesti: populumve sanctum
 Dicit, & laudes graphico Sionis
 Carmine cantat.
 Flebilis noxa meritasve pœnas
 Plorat, & vires animumque moresque
 Improbos abducit ab orbe, celsoque
 Inserit axi.

Damnatum tetrico lumine videris,
 Illum non labor Herculis
 Ex Orco retrahet, non cithara Orphei
 Blando ducet ad æthera
 Tinnitu, neq; merx sancta piatinum
 Quam vendit Papa fontibus,
 Quod Regis Stygii contuderit minas
 Ostendet superum domo:
 Sed quæ Tartara aquæ tristia perfluunt,
 Et spissæ tenebræ stygis
 Claudent perpetuo carcere flebiles.
 Jovæ, principis omnium
 Dignatur soboles inter amabiles
 Patrum ponere me choros:
 Et jam morte minus terreor horridâ.
 O vis sanguinis enthei
 Vitam quæ miseris reddit Olympicam!
 O turbis quoque fontibus
 Donatura polum, si teneant fidem!
 Totum muneris hoc tui est
 Quod sancto potior limine cœlitum,
 Non fictâ radians fide
 Quod & vivo, valeo, Christe etiam
 tuum est.

PARODIA IV.

*In qua celebratur felix Regis Suecia & Ducum
 Ipsius contra Romanenses successus.*

QValem Monarcham Persidos inclytum
 (Cui Rex supremus regnum Asiæ vagum
 Permisit, expertus fidelem
 Ædis in ædificatione)

Olim juvenus, insitus & vigor
 Scepbris tenendis protulit utilem;
 Mediç; jam nugis remotis
 Insolitos docuere nisus

Annis vigentem: Mox in avi thronum
 Demisit hostem vividus impetus.

Nunc in reluctantes Tyrannos
 Egit honoris amor Deusque
 Qualemve latis Persia finibus

D d 5

Ex-

isti

Da.



Extenta, terra Cecropia Ducem
 Iam Græciâ vidit subacta
 Sceptra novi subitura Regis:
 Videre Moschi bella sub Ingris
 Suecum gerentem, & Sarmatici: quibus
 Mos unde deductus per omne
 Tempus acinace lanceâque
 Dextras obarmet, quarere distuli;
 (Nec scire fas est omnia) sed dis
 Lateque victores Poloni
 Consiliis juvenis revicti
 Sensere, quid mens rite, quid indoles
 Nutritia Martis sub penetralibus
 Posset, quid heroum parentum
 In memores animus nepotes
 Segnes creantur segnibus & malis.
 Est in cicadis, inque asinis patrum
 Torpor, nec audacem paventes
 Progenerant aquilam columba.
 Vim stemma clarum promovet insitam
 Rectaque cultus pectora roborant;
 Vt cumque defecere mores,
 Corripit hoc bene disciplina.
 Quid debeas ô Teutona gens Gotho,
 Misena testis Lipsia, Tillius
 Devictus & pulcher fugatis
 Ille dies Latii Tyrannis
 Gustavus almâ clarus adoreâ
 Magnas per Urbes Teutoniæ celer
 Ceu flamma per tædas vel Euris
 Per Siculas volitavit undas.
 Post hoc secundis castra laboribus
 Romana Suecus fudit; & impiò
 Heu! mœsta Fridlando fugatò
 Fata piùm rapuerit Regem.
 Dixitque tandem Lojola perfidus,
 Cervi Leonum præda ferocium
 Sectamur ultro, quos optimus
 Fallere & effugere, est triumphus.
 Gens qua subactò fortis ab Istula
 Delata terris ex gelidis, sacra

Papae cultores & arma
Reppulit Ausonias ad urbes.
Duris ut ilex ista bipennibus
Nigra feraci frondis in Algido
Per damna, per caedes, ab ipso
Ducit opes animumq; ferro.
Non Hydra secto corpore firmior
Vinci dolentem credit in Herculem,
Monstrumve summisere Colchi
Majus Echionave Theba.
Regem peremi; fortior en venit;
Intendo vires, proruit illico
Cum laude Victorem, geritq;
Prælia perpetuo loquenda.
Roma cadenti non ego nuncios
Mittam superbos: occidit, occidit
Spes omnis & fortuna nostri
Cæsaris arma gerente Sueco.
Nil Suecia non efficient manus,
Quas & sacrato subsidio Deus
Confortat & cura sagaces
Expediunt per acuta belli.

PARODIA V.

Ad Christum, pro pace.

Rerum, Christe, salus, optime credula
 Custos gentis, abest pax nimium diu:
 Oportatam requiem sollicito piæ
 Turbæ concilio refer.
 Pacem redde piis, Rex bone, caribus
 Instar Solis enim pacis ubi jubar
 Affulsit, populo gratior it dies
 Et leges iterum vigent.
 Ut clausus tenebris, quem ferus impio
 Ausu Turca procul trans maris æquora
 Abductum laqueis durius æneis
 Longo carcere distinet,
 Votis omnibusque & precibus cupit
 Exsolvi, faciem nec foribus movet
 Sic desiderii ista fidelibus
 Pacem gens pia postulat.

Sævus Mars etenim cuncta perambulat,
Liquit rura Ceres, almaque Faustitas:
Prædones volitant per mare turbidum,
Servari metuit fides.

Multis polluitur casta domus stupris:
Mos & lex maculoso inficitur probrò:
Laudantur spuria prole puerperæ,
Culpam pœna premit minus.

Quis pacem repetit? quis Dominum timer?
Quis Germania quas inclita pertulit
Clades, incolumi Marte? quis agminis
Curat vulnera creduli?

Condit quisque diem sordibus in suis,
Et noctem vitis ducit in horridis,
Hinc ad vina redit lætus & asperis
Te dictis lacerat Deum.

Te multis vicibus prosequitur probro
Nummis miles inops, & Satanæ tuum
Miscet Numen, uti gens mala Dæmonis
Et sancti memor Angeli.

Dulces ô utinam, rex bone, ferias
Præstes Teutoniæ: poscimus integro
Mœsti manè die, poscimus anxii
Cum Sol Oceano subest.

PARODIA VI.

Ad Spiritum Sanctum.

Jova, quem mendax Anania falsæ
Vindicem lingvæ, thalamiq; consors
Sensit illius, sacra proficiente
Dogmata Petro.

Cæteris verax, tibi falsus ore,
Ipsius quamvis pariter marita
Venditi fundi pretium negaret
Gurture mendax.

Ille, cœlesti velut ista telo
Quercus, aut impulsa cupressus Euro
Procidit latè, posuitque collum
Pulvere nigro.

Ille, de fundi pretio negatâ
Parte mentitus bene Christianum

Numen & sacram Domini perennis
 Falleret Auram,
 Et palam verbis levis (heu nefas, heu!)
 Conscios facti socios Iesu
 Luderet mendax, etiam repletos
 Flamme sacro.
 Ni tuis virtus gravibusq; Petri
 Vocibus fraudis, faber occidisset;
Veritas simplex tibi nam probatur
 Spiritus alme
 Doctor arcanae Sophiæ, salutis
 Fonsque, qui purum cupis usque pectus,
 Dogmatis defende decus, sacra
 Dogmatis Auctor.
 Spiritus mendax sibi, Rector orci
 Linguam, nomenque rapit Prophetæ;
 Principum primi proceresq; claris
 Patribus orti,
 Impii lorica Papæ, nefandas
 Hæreses tristi revocantis orco,
 Lampadem Veri fugiunt, sacrique
 Dogmatis usum,
 Rite Francisci meritum canentes
 Rite flammantem face sulphuratâ
 Sontium furnum, scelerumque sordes
 Tollere gnatum.
 Veritas dices, ego Iovæ amica
 Seculo falsas referente sectas
 Fabulis condor, doceorque nugas
 Vatis Homeri.

PARODIA VII.

*Ad Dn. Christophorum Volknerum Affinem &
 Amicum dilectum.*

Pietate pulsâ impietas ubiq; regnat.

Aufugit pietas, redierunt crimina mundo
 Pectoribusque doli:
 Mutant jura Duces & veræ vera salutis
 Dogmata despiciunt:
 Cypria cum mæchis scortisque salacibus aude
 Ducere nuda choros.

Pro-

Promissa omnia ne credas, docet usus & atrum
 Quæ fovet aula dolum.

Munera corrumpunt Proceres ; arma expedit
 ætas

Hæc scelerata ; simul

Ebrius hesternum vinum exhalaverit, en mox
 Crapla recurrit iners. (mundi,

Damna sed hæc Christus reparabit maxima
 Nos ubi decidimus

Quo pius Abramus, quo Moses sanctus & Adam
 Hic sumus opprobrium.

Quis scit an inveniet meliori dedita vitæ
 Pectora Rex superûm ?

Cuncta manus avidi rapiunt hæredis, egeno
 Nil dat avarus atrox.

Cum semel excideris, & de te vilia vulgus
 Fecerit arbitria,

Non, *Volcknere*, fides, non te solertia, non te
 Restituet pietas.

Æthereis tandem domibus divinus amicum
 Liberat agmen amor.

Ast Ierthea gregi Satanas innectere perget
 Vincula degeneri.

PARODIA VIII.

*Peccata lugenda sunt, à quibus solum Christi
 meritum nos liberat.*

Defflerem laqueos magnaue flebilis
 Intentata piis damna cohortibus :
 Defflerem trepidus funera fortium
 Herorum, simul & Christe, tuam necem
 Ferrem ; divite me scilicet artium,
 Quas aut Naso dolens protulit, aut Maro :
 Hic Trojæ, proprias ille Tragœdias
 Solers flebilibus plangere questibus.
 Sed non hæc mihi vis ? nec tibi talium
 Mens est percupida aut indiga fletuum,
 Gaudes suppliciis : crimina præcipis
 Lugere, & veniam poscere criminum,
 Non prolata locis murmura publicis
 Per quæ Missificus ceu crepat, est salus

Post

Post mortem miseris, non Monachum rogæ
 Effusæque sacros ad Genios preces;
 Non indulta malis sacra piamina
 Ejus, qui Latio munus Apostoli
 Mentitus residet: purius eluunt
 Sordes, quam meritum, Christe, tuum: neque
 Si Christum reprobas, quod benefeceris
 Mercedem tuleris: quid Mariæ foret
 Et Iovæ soboles, subdola sanctitas
 Si auferret maculas pectoris impii?
 Ereptos stygiis fluctibus impios
 Virtus, Christe, tui sanguinis enthea
 Sanctis cœlituum consecrat ædibus.
Fisum morte tua, Christe, vetas mori
Cælo, Christe, beas. Sic superum interest
 Optatis domibus credulus Abraham,
 Sanctos Isacidas unica ab Inferis
 In Christum eripuit liminibus Fides:
 Ablutos roseo pectora sanguine
 Christus tecta poli ducit ad ardua.

PARODIA IX.

Ad Virum admodum Reveren. Clariss. & Doctiss.
Dn. Iohannem Behmium SS. Theol. Doct. & ejus-
dem in alma Bregelana Profess. Publ. primarium,
Sereniss. Electoris Brandenburg. concionatorem
Aulicum, Consistorii Sambiensis Assessorem
& Fautorem suum suspiciendum.
Cujus, post enumerationem primariorum hujus
seculi Theologorum, labores & Virtutes
decantantur.

NE fortè credas interitura, quæ
Prognate Doctor Bregelam ad algidum
 Non ante vulgatis libellis
 Digna credo monumenta linquis,
 Non, si priores Saxonici tenent
 Sedes Ministri, Prussiæ latent
Speratus & Morsinus acris,
Heshusius, Venetus, VVigandus.
 Nec si quid olim penna dedit Patrum,
 Delevit ætas: spirat adhuc vigor,

Scri-

Scribuntque sacro calore
 Theologi celebres libellos,
 Non solus orbi tradit elenchicos
 Libros *Gerhardus*, liquit & inclytus
 Schröderus, *Hutterus*, *Graberus*,
 Brentius, *Illiricus* *Lyserus*.
 Primusque *Luther* Romuleæ scelus
 Detexit aulæ: non semel *Hunnus*
 Vexatus; haud pugnavit ingens
 Chemnitius *Mylius*ve solus
 Ob veritatem prælia, non pius
Meisner, vel acer *Mentzerides* graves
 Excepit ictus pro sacratis
 Dogmatibus Bibliisque primus.
 Vixere testes ante *Melanchthona*
 Veri: sed omnes insatiabilis
 Oppressit extinxitque dirus
 Papa, carent quia cognitore,
 Paulum sepultæ distat inertiae
 Celata virtus. Non ego te meis
 Metris inornatum fileri
 Totve tuos patiar labores
 Impunè, *Behmi*, carpere lividas
 Obliviones: est animus tibi
 Rerumque prudens, & secundis
 Temporibus dubiisque rectus:
 Vindex sacratae legis & arguens
 Nutantis ingens schisma *Borussiae*,
 Doctorque non mutus silensque,
 Sed quoties malus ac iniquus
 Judex honesto prætulit utile, &
 Ficto probavit facta nocentium
 Vultu, per astantes catervas,
 Arripis intrepidus sacra ultor arma.
 Non, blandientem multa, vocaveris
 Christi Ministrum, rectius occupat
 Nomen fidelis, qui sacratis
 Dogmatibus sapienter uti,
 Et ferre nullam callet hypocrisin,
 Pejusque letho flagitium timet;

Non

*Non ille pro Verbi Vigore
Salvifici timidus perire.*

PARODIA X.

Ad ignavam juventutem.

O Ignava cohors, & nimix desidia vacans,
Insperata tuæ cum venient tædia inertix,
Et qui nunc animis involitant excide-
rint joci:

Nunc & qui vigor est ingenii flore puertix,
Mutatus ruditatem in stupidã transierit simul.
Dices, heu ! quoties pigritiã luxeris horridam.
*Qua mens nuper erat, cur eadem non rema-
net seni?*

Vel cur his animis prateriti non redeunt dies?

PARODIA XI.

Ad Christum pro remissione peccatorum.

Est mihi lugens superantem arenam
Pectus errorem numero: est in ore
Christe, vox supplex veniam reposcens,
Est lachrymæ vis

Multa, qua sordes maculasque ploro;
Excoquit corpus dolor; ægra multo
Lingua singultu nequit expedita
Promere vota.

Membra rellequit vigor; huc & illuc
Curstant misti gemitus querelis,
Sordido Flatus renuit morari
Pectore sanctus.

Attamen novi, quibus expieris
Ritibus: culpæ tibi sunt fatendæ,
Nostra qui diro sceleris veneno
Pectora mundas:

Unus Assertor meus & Redemptor
Morte ab Inferno propriâ: quod hoc in
Orbe solamen mihi semper ingens
Applicat ægro.

Tædium, quod tu cupis, occupavit
Ob malæ fordis cumulum, perungens
Pectus & mentem, tenet & doloris
Compede vinctam.

Ter-

Terret informis Sodome nefandas
Res; exemplum grave præbet ille
Heilluo flammis Erebi gravatus
Flumina poscens.

Semper ut te, fac, sequar & favorem
Dum licet sperare, nefas dolendo,
Corrigam mores: age jam meorum
Christe malorum

(Non enim posthac vitiis vacabo
Impiis) extingue notas, rubenti
Rore quas tingas, minuentur atræ
Pectore curæ.

PARODIA XII.

Ad Christianos de Christi nativitate.

JAM Christi comites qui veniunt polô,
Divulgant Genii publica gaudia:
Iam nec templa silent, nec cathedræ tacent
Æterni sobolem patris,

Dirus damna dolet flebiliter gemens
Inferni Deus, & Tartaræ domus
Æternum opprobrium, quod sacra Virginis
Proles est data homunculis.

Dicunt in tenero gramine pinguium
Custodes ovium carmina Iesulo;
Decantantq; Deum, cui stabulum & pecus
Urbis Bethlemidos placent.

Adduxere Magi munera Iesulo;
Cui donum, pia gens, reddere debitum
Si gestis, pueri virginei cliens,
Plenum cor fidei feras.

Hoc donum puero complacet unicè,
Qui nunc Bethlemiis accubat horreis
Spes donare novas largus, amaraque
Curarum eluere efficax.

Quæ si quis cupias munera, cum tua
Velox merce veni. Te puer hic tuis
Immunem satagit reddere sordibus
Servator pius omnium,

Verùm linque nefas & studium mari:
Infernique memor, dum licet, ignium

Mur

Muta nequitiam propositio piò:
Fas est hic respiscere.

PARODIA XIII.

Ad peccatorem impenitentem sub nomine Caini

Contempere, Cain Dî tua vota, Dî
Contempere, Cain; pravus es, & tamen
Vis Christianus haberi,
Ludisque & bibis impudens;

Et linguâ ravidâ Regis Olympici
Gnatum dilaceras, ille fidelis &
Prompti psallere Numen
Votis approbaret Viri.

Iracundus enim respicit impias
Mentes, & refugit; te quia noxiæ
Sordes, te quia culpæ
Turpant & scelerum vices.

Nec pœnæ pariunt jam tibi Tartari,
Nec Legis fremitus tædia criminum,
Verbis pectora sanctis
Occlusit stygius Deus.

Quo fugit pietas? quo vel amor Dei?
Quo virtus? quid habes illius, illius,
Qui poscit sui amorem,
Qui te morte redemerat?

Infelix Erebum, nigraque Erinnyum
Spectabis facies, nec stygius breves
Plagas Pluto parabit:
Servaturus in horrido

Orco perpetuis suppliciis malos:
Ne possint superos visere limites
Multo non sine fletu
Ob diram queruli facem.

PARODIA XIV.

*Ad Sereniss. Suecorum Regem Gustavum Adol-
phum, in qua ejusdem ut & Ducum illius
facta decantantur.*

Quæ cura vatum, aut quæ Polyhistorum
Plenis honorum muneribus tuas,

Gusta-

Gustave, virtutes in ævum
 Per titulos memoresque fastos
 Æternæ? ô, qua Sol habitabiles
 Illustret oras, maxime Principum,
 Quem legis expertes sacratæ
 Cæsarei didicere nuper,
 Quid Marte possis. Milite nam tuo
 Rehno propinquos *Baudius* Ubios,
 Agros *Agrippinensis* urbis
 Oppositamque *Colonia* arcem
 Vexavit acer plus vice simplici.
 Heros *Trebocos* *Hornius* haud semel
 Afflixit, & *Benfeldianos*
 Auspiciis superavit æquis,
 Spectandus in certamine Martio,
 Devota Papæ pectora perfido
 Quantis fatigaret ruinis,
 Indomitas prope qualis undas
 Exercet Auster, Plejadum choro,
 Scindente nubes: impiger hostium
 Vexare turmas & frementem
 Mittere equum medios per ignes.
 Sic Nilus ingens volvitur alveo,
 Qui rura *Memphis* perfluit inclytæ,
 Quum crescit, optatamque cultis
 Diluviem meditatatur agris.
Gustavus hostes *Hornius* ut feros
 Urbesque forti diruit impetu:
Suevosq; & *Alatos* domando
 Emicuit sine clade Victor:
 Te copias, te consilium & novas
 Præbente vires. Nam tibi, quo die
Lutense certamen triumphî
 Ætherei patefecit aulam?
 Fortuna multis prospera finibus
 Belli secundos reddidit exitus,
 Cœlumque & optatam peractis
 Imperiis requiem arrogavit.
 Te *Sarmata* non ante domabiles,
Moscus, *Borussus*, te manus *Itala*
 Miratur, ô tutela præsens
Tentonia miseræque turbæ,

Te,

Te, vineas qui nutrit amabiles
 Rhenusq; & Ister, te Bavarus Lycus,
 Te Duna permanans Livonos
 Vandalicus Viadrusq; & Albis:
 Te non carentis flumine Dania,
 Claraque tellus extimet Austria,
 Te Marte gaudentes Sicambri
 Compositis venerantur armis.

PARODIA XV.

Ad Christum Servatorem.

Codex, volentem Numina me loqui
 Fictasq; Divas, increpuit sacer:
 Ne res profanas Christianus
 Succinerem: tua, Christe, virtus
 Terris salutem rettulit optimam,
 Vitamq; turbæ restituit piæ
 Ereptam ab inferni superbis
 Hostibus, & stygium profundò
 Antrò Draconem clausit; in ordinem
 Orcum egit, & sic fræna Tyrannidi
 Injecit, amovitq; culpas:
 Eluit & maculas Adami,
 Per quas Avernî robur & inferæ
 Crevère vires, atq; hominum prior
 Projecta majestas ad orci
 Limen ab æthereo theatro.
 Sotere Christo sed Duce, non furor
 Draconis aut vis obstruet æthera,
 Non Papa, qui mortem minatur,
 Atque pium malè vexat agmen.
 Non, qui coronam Pontificis colunt,
 Rumpent piorum gaudia, non Getæ,
 Non Sarmatæ sæviq; Iberi,
 Non Tiberim prope flumen orti.
 Nosque & profestis lucibus & sacris
 Inter catervæ limina credulæ
 Cum prole matronisque nostris
 Rite Deum prius apprecati,
 (Non luce functos, more Papæ, Viros)
 Votis profusis pectore supplice
 Patremq; & Auram sacram, & Almi
 Te sobolem Patris accinemus.

PAR.

PARODIÆ IN
LIBRUM EPO-
DON.

PARODIA I.

*In obitum M. Petri Mauriti, Regiomonti Scholæ
Parochialis Rectoris fidelissimi, Amici &
Compatriis sui desiderati.*

A Bis Dei vocatu ad alta fiderum,
Amice, propugnacula;
Paratus orbis asperas molestias
Mutare Mauriti polo.
Quid nos? quibus te vita erat superstitie
Jucunda, nunc contra gravis;
Utrumne jussa persequemur munia
Non grata, ni tecum simul;
An hunc dolorem mente laturo, decet
Qua ferre non molles viros;
Feremus: atque te per asperam crucem
Ingrata mundi & præmia
Tandem scholâ dimissi ad ætheris domos
Prompto sequemur pectore.
Roges tuam juventa quid pleret necem
Imbellis & prudens parum?
Ducem suum desiderant dexterrimum,
Quo vix parem nunc urbs habet.
Ut assidens implumibus pullis avis
Rapacis allapsus cavet
Nisi sollicita: sic, ut aderas barbaros
Scholâ fugasti vultures.
Libenter hic diutius te cernerem
Rudis in juventæ gratiam.
Non, ut doloribus illigata arthritidis
Tua membra vexentur magis;
Tabesve lenta pro labore fervido
Strigosa reddat tempora?
Nec ut juventæ vita turpis improbat

Deo

Dolore tangat pectora,
Satis superque te malorum copia
Vexavit: haud invidero,
Quod & sacratis cum choris caelum premas
Beatus & canas Deum.

PARODIA II.

Commendatio vitae scholasticae.

BEatus ille, qui procul negotiis
(Ut docti gens scholarum)
Indocta corda perpolit studiis bonis
Solutis ignorantia.
Neque commovetur asperis conviciis,
Neque curat indoctum genus;
Vulgusque spernit & maligna civium
Iniquorum scommata.
Ergo aut repertis artium praestantium
Animos reformat inscios
Inutilesque mentibus mores fugans,
Humaniores inserit,
Aut in Minervæ sedibus discentium
Emendat errores graves:
Aut pura sacris mella promens Bibliis
Pueros docet viam Dei:
Vel cum decorum Palladis donis caput
Juvenis cathedrâ protulit!
Ut gaudet elaboratum audiens metrum,
Orationem aut splendidam,
Qua concelebret te Jehova, & te Patris
Æterne filii perpetis.
Docere privatis modo liber ædibus,
Modo in Lycéo nobili.
Tractantur artes interim pueris bonæ,
Leguntur in Scholis libri,
Fontesque sacris eruuntur literis,
Tristes quod animos recreat.
At quum logos Sophista vanos callidus
Nodos strophasque comparat;
Aut cogit acres hinc & hinc sapientiâ
Hostes ut obliqui haud queant;
Aut arte doctâ diluit Sophismata,

Cæcosque detegit dolos:
 Pavidæque turbæ & inscio Logices gregi
 Jucunda tradit dogmata.
 Quis non malarum quas forum curas habet,
 Hæc inter obliviscitur?
 Quod si patronus artibus favet bonis
 Et præmia statuit libris,
 (Augustus olim qualis, atque Principum
 Propago Mæcenæ fuit)
 Gnomas vetustis eruit bonis libris
 Juventæ in usum floridæ;
 Claudensve certis verba numeris & modis
 Mansura scribit carmina:
 Aut bella mundi & facta lustrans Principum
 Fastos perennes apparat.
 Non me Sabæa juverint aromata
 Magisve florentes rosæ;
 Non moschi odor penetret in nares meas,
 Non balsami fragrantia
 Iucundior; quam cognita è doctissimis
 Annalibus scientia.
 Aut metra vatis vera amantis, & gravi
 Artes salubres pectori:
 Vel verba sacris hausta fontibus Dei,
 Studiumque linguarum utile.
 Has inter epulas ut juvat vitæ dies
 Videre properantes meæ,
 Videre doctos sedulam pubem libros
 Studio legentem fervido;
 Positosq; pueros, urbis optimum decus,
 Circum docentium pedes!
 Hæc ubi locutus institutor Hoppius;
 Dives rudisque rusticus
 Omnem pararet ut suus sapientiam
 Mopsus, Magistro subdidit.

PARODIA III.

*Commendatio primi Evangelii, quo Deum primo
 nos nostros Parentes post lapsum erexit.*

Parentis Adæ pectus anxium Deus
 Lenivit hoc solamine;

Caput Draconis conteret stirps Fœminæ

O verba plena gratia!

Quantum hæc levamen attulere cordibus?

Quæ viperina astutia

Contecta verbis heu! fefellit blandulis,

Ut tangerent vetitas dapes!

Ut Patriarchas præter omnes credulum

Deus probavit Thariden,

Innoxii nati immolaturum caput,

Erexit hoc solamine:

Hoc roboratus lucis oras Israël

Libente liquit pectore.

Nec major unquam Numinis fuit favor

Erga piorum Ecclesiam,

Nec munus animos exulis Psalmographi

Firmavit efficacius.

At, si quid unquam Rector orci cœperit,

O sancte cœtus, te precor,

Verba illa cœptis orci opponas Ducis,

Inferna regna & mox petet.

PARODIA IV.

Ad M. Ieremiam Nigrinum, Scholæ VVismariensis

Rectorem, Amicum colendum.

Viti atque olivæ quanta naturâ obrigit

Tecum mihi concordia est,

Scientiis replete plurimis caput

Et corda linguis optimis,

Licet remotus hinc procul regas scholam,

Non mutat animum sed locus.

Videsne, doctos explicante te libros

Liberiore pectore,

Ut ora vertat huc & huc discentium

Non segnis auscultatio?

Tractus Borussis hic scholis trivialibus

Rectoris ad fastigium,

Monstrat juventæ sacra Jovæ dogmata

Et artium vias docet;

Novensilisque cultor insignis chori

Spretâ Vacunâ permanet.

Quid attinet tot antra Musarum gravi

Es

Ex.

Exculta quæri examine,
Contra Sophistas atque nesciam manum,
Hoc hoc Magistro dogmatum ?

PARODIA V.

Martyrii Iohannis Hussi descriptio.

AT ò Deus, qui quicquid in cælo est regis,
Terras & humanum genus,
Quid iste fert tumultus? & quid omnium
Vultus in unum me truces?
Per sanguinem vos, quo paratam perpetem
Mundo salutem credimus,
Vestra sacrum per purpura decus precor,
Per improbaturum hoc Deum:
Quid hæresin mihi imputatis, quam Dei
Nemo refutat dogmate?
Ut hæc dolenti questus ore, constitit
Cœlestis Hussus dogmatis
Præco fidelis, qui nequibat impia
Mollire Cleri pectora.
Orbata medio gens papalis vertice
Crines, & ornata infulis
Iubet professa devovere dogmata,
Iubet nefandas hæreses;
Et plena rasæ dicta turbæ erroribus
Sedemque Romanæ strigis,
Canonesque quos terra Itala atque Iberica
Effinxit errorum ferax,
Et iussa ab ore rapta sancti Concilii
Exosculari ut cœlica.
Frustrata cœptis rasa gens in Martyrem
Spargens avernales minas
Irâ fremebat, ut læna spiculis
Confixa vel fremens aper.
Tortor vocatus absque conscientia
Ligonibus duris humum
Exhauriebat, inserens scrobi asserem
Quo posset Hussus arctius
Sic alligatus ignis accensi ferâ
Inemori violentiâ.

Cum

Cum staret afferi alligatus, ferrea
 Subjecta mento vincula;
 Exusta uili labella & aridum caput
 Ardoris essent pabulum.
 Ad Solis ortum quum simul fixæ ipsius,
 Converterentur pupulæ;
 Non defuere Spiritu vertiginis
 Sic fascinati Præsules,
 Ne Solis ortum versus Hussus cerneret
 Dirâ notatus hæresi,
 Qui stipitem iussere rursus effodi
 Vertique ad occasus plagam.
 Hic execrandum tonsa dente livido
 Caterva rodens pollicem.
 Quid dixit? aut quid tacuit? ô sententia
 Nostræ executor strenue
 Tortor Caine, quem nocentium tremunt
 Addicta morti corpora,
 Nunc nunc adesto; nunc in hæreticum impium
 Iram atq; vires vertito,
 Formidolosa dum cadant Hussi pyræ
 Exusta membra incendio.
 Hussum (quod omnes gaudeant) fanaticum
 Latrent a vernales canes
 Letho dicatum; quale nec salubrius
 Fuit beato præfule.
 Quid aspicias? cur dira dogmatis novi
 Venena sparsit impius,
 Quibus supremum lasit ille præfulem
 Divi Petri vicarium?
 Errore fædo pectus imbutus novam
 Bohemæ sectam intulit?
 At qui nec astus nec latens in pectore
 Vafro sefellit nos dolus.
 Crematur Hussus omnium suffragiis
 Damnatus orco Præsulum.
 At ne solutus impio venefica
 Scientioris carmine
 Inusitatis, Hussu, concionibus
 (O usq; fleturum caput)
 Fallas Bohemos, neu vocata mens tua

Nobis colatur ritibus;
Majus parabo, majus infundam tuis
Oblivionis poculum.
Prusq; Rhenum exhauriet quis spumeum
Liquore siccato ipsius:
Quam colligatur sparsus in illum cinis
Husti impiis ex artibus,
Hustus sub hac jam non, ut æquū erat quidem,
Diris agebat impios:
Sed certus, unde posceret solatium,
Misit preces ad æthera:
Iehova, clerus fas nefasq; non videt
Convertere humanum genus:
Diris agam illos? dira detestatio
At Christianos dedecet:
Quin jam cremandus Numen oro cælicum
Papalis ut cesset furor:
Petoq; noxas ut remittas hostibus
(Quod munus est tuum Deus,)
Et inquietis hostium præcordis
Tantos furores auferas,
Vos præfules torretis artus Anseris
Et jam necatis Martyrem:
Post seculum facti hujus exiget Deus
Rationem, olorg; tunc erit:
Neg; hunc poteritis (heu Papa superstiti!)
Assare sicut Anserem.

PARODIA VI.

In Papam persequentem pios.

Quid immerentes, Pontifex, vexas pios,
 Ignavus adversus Scythas?
 Quin huc furorem, quem foves, vertis gravem,
 Hostesque Numinis petis?
 Et qualis aut Molossus, aut fulvus Lacon
 (Inimica vis feris lupis)
 Agis per arces mente concita arduas,
 Quicumque blasphemant Deum,
 Nunc cum feroci mente persequeris pios
 Offendis æternum Deum,
 Cave, cave; namq; in malos asperrimus

Parata figit spicula.

Qualis Pharoni spretus impio Deus,
Sennacharibo aut Angelus,
An, si quis in piis Deum ipsum læserit,
Inultus hostis unquam erit?

PARODIA VII.

Ad Germanos, intestino bello laborantes.

Quo quo feroces ruitis? aut cur dexteris
Aptantur enses conditi:

Parumne campis atque Neptuno super
Fusum est Christiani sanguinis?

Non ut superbas Turcicæ tyrannidis
Germanus arces ureret:

Intactus aut Ruthenus ut descenderet
Subjectus orbi Teutonum;

Sed ut secundum vota Turcorum sua
Teuto periret dextera.

Neque hic Scythis mos, nec fuit Garamantibus
Unquam, nisi in dispar genus,

Furorne cæcus, an rapit vis acrior?
An culpa? responsum date.

Tacent; & ora rabies ingens inficit
Mentesque perculsæ stupent.

Sic est: acerba fata Germanos agunt
Scelusque Iesuiticum,

Ut immerentis cœpit illud sanguinis
Credientis agminis fitis.

PARODIA VIII.

In Iesuitas.

Rogare Iesu turgidum te nomine,
Mores quid improbem tuos:

Quum sit tibi mens atra, cum tuum dolus
Pectus malignus incolet,

Lateatque sævus subter agnitis togis
Animus velut feri lupi.

Sed incitat me vultus & sanctæ preces,
Divina quales carmina.

Sanctique gestus & caput proclivius
Scapulis sinistris imminens.

Esto beatus, *Lojolam* atque imagines

Ducant triumphales tuum;
 Nec sit *Pericles*, qui facundioribus
 Verbis Dynastas excitet.
 Quid, quod sacri fraterculi inter inclytos
 Sedere Magnates ament?
 Christum professi num minus tibi placent?
 Minusque dogma cœlicum?
 Quod ut piorum surpias ex pectore
 Studio laboras anxio.

PARODIA IX.

*Ad M. Martinum Wolderum, templi Parochialis
 Region. Diaconum.*

De Christi passione & Resurrectione.

QVando Monarcham cœlicum ad festos dies
 Victore Christo jubilans
 Tecum sub æde (quod Deo gratum) sacra
 Woldere compater, canam;
 Sonante mistos organo lingua modos
 Fidelium in Ecclesia.
 Ut nuper, actus cum solo Cocytius
 Dux fugit orbis virium,
 Minatus orbi vincla, quæ paraverat
 Cunctis Adami posteris.
 Servator (cheu ob nefas mortalium!)
 Emancipatus funeri,
 Fert stipitem plagasque patiens gentibus
 Servire sævis cogitur,
 Interque latrones cruci affixum impios
 Sol aspicit suum Deum.
 At non frementes perdiderunt gens Hebræi
 Christum & Latini milites:
 Hostilis & nil Dæmonis vires valent
 Et mors sinistrorsum cadit.
 Idè triumphe! tu repellis anxias
 Curas & affers gaudia.
 Idè triumphe! nec Iugurthino parem
 Bello reportasti Ducem,
 Neque Africano, cui super Carthaginem
 Virtus sepulchrum condidit,

Orco

Orco poloque victus hostis, fletibus
 Lugubre fœdavit sagum.
 Nunc ille nigris Tartarum in dirum ignibus
 Turbis iturus cum suis
 Christum sequentes impetens frustra dolo
 Torquetur æterna face.
 Limatiores affer huc Clejo modos
 Et sacra metra & carmina:
 Vel quod Jehovæ gratiam deprædicet,
 Molire nobis canticum:
 Curam metumque pectoris cunctum decet
 Plectro sacrato solvere.

PARODIA X.

Ad Christum pro beata mortis horula.

MAlis soluta quando mens est corporis
 Lictura olentem carcerem,
 Ut cœlicis utrumque munias latus
 Jesu memento Nunciis.
 Niger susurros Hydrus, infirma fide,
 Cæcasque fraudes differat:
 Exurgat anima spes fidesque Dæmonis
 Frangens sagittas igneas,
 Nec crimen illa luce atrox appareat
 Qua corpus exanimum cadit.
 Sed mens ad optatum feratur æthera,
 In Numinis summi manus:
 Ut Lazari animam duxit Angelus pii
 In creduli Abrami sinum.
 O quantus instat mentibus plausus piis
 Cœlique splendor entheus,
 Et illa non vulgaris acclamatio,
 Preces & æternum ad Deum!
 Ter sanctus alto cum remugiens polo
 Sonus Jehovam evexerit.
 Defuncta quod si membra curva buccina
 O Christe, suscitaveris,
 Ter unus usque personabitur Deus
 A cœlicis cohortibus.

Ee 4

PAR.

PARODIA XI.

*Ad M. Iohannem Babbatum, Scholæ cathedra-
lis Rectorem.*

Recensentur fata functionis scholasticæ ejusq;
futura præmia,

A Mice, munus me licet velim, vetat
Scribere versiculos

 Labore lassatum gravi,
Labore, qui me, sicut & te distinctet
 Mentibus arte bona

 In excolendis insciis.

Undenus hic Aprilis, ex quo subdidi

 Colla caputque scholæ,
 Terris honorem provocat.

Heu me! per urbem (nam schola putent malis)

 Fabula quanta fui
 Scholæque sæpius piget,

In qua docentem & languor & silentium
 Occupat, & latere

 Petitus imo spiritus:

Contrane mundum nil valere candidum

 Pauperis ingenium
 Sum questus applorans tibi,

Quoties amica nostra conversatio

 Liberiore sono
 Arcana promovit loco?

Verum ut meis inæstuet præcordiis

 Liberabilis, at hæc
 Ingrata ventis dividit

Lamenta vulgus nil scholæ curans onus.

 Definit ergo malis
 Certare sedatus furor.

Certè laborum præmium ni noscerem

 Jussus adire polum?
 Haut ferrer incerto pede

Ad non amicos Palladis postes, & ad

 Limina celsa quibus
 Fraus regnat & malus dolus.

Nunc admonentis quamlibet molestiam

 Vincere mente bonâ

Amor

Amor Lycei me tenet,
 Unde expedire non iniquorum queant
 Crimina & opprobrium,
 Nec contumeliæ graves.
 Sed morbus asper, aut alia vocatio,
 Aut acies Lachesis
 Vita recidentis colum.

PARODIA XII.

In Satanam, cujus dolis Christi meritum opponit.

Quid tibi vis Satana nigris dignissime flam-
 Retia quid mihi quid laqueosve (mis?
 Tendis morte Dei Nati meritoq; redempto?
 Biblia nam testantur abunde,

Quod fraus & tua vis coetus petat usq; fideles,
 Sævus uti lupus ambit ovile.

Quis dolus astuto Satanæ & simulatus ab ore
 Prodit amor, cum fraude maligna

Credientem properat turbam illaqueare: neq;
 Jam manet enthea lingua, sonusq; (illi

Fletibus obtectus crocodili: jamq; minando
 Corda fidelia Sanctaque terret,

Vel, mea cum sævis agitat mala crimina verbis.

Numen amas summum minus, ac me:

*Iussa Dei nec sponte facis, mihi semper ad omne
 Promptus opus, pereas male, qui me*

Plus audis, quam qui tibi cælum monstrat, Iesum.

Sed mihi Christus adest, mea Virtus,

Cujus in effuso vis sacro sanguine major

Quam Satanæ omni robur inhæret.

Sanguineis guttis fletus iterataque vota

Cui medicabantur? mihi nempe:

Quo forem ego sanctos inter conviva, magis
 quem

Christus amat Deus ac homo quam se,

O ego jam felix, nam tu fugis, ut pavet arce.

Calcar ejus catulusque leonem.

PARODIA XIII.

*Ad Christianos, ut presentia bella verà pœnitenti-
 tia avertant.*

Horrida vis Martis mundū complevit & iræ
 E e s Pla.

Plagæque grassantur Dei. Nunc mare conti-
nensque

Threicio Mavorte fremunt, rapiamus amici
Occasionem temporis: dumque patet venia
Et licet haud ficto quæramus corde Ichovam.
Tu vota Christiane, fac pectore prompta pio,
Mitte patrare nefas. Deus hæc fortasse benigna
Reducet in sedem vice: Nunc & amicitia
Conjungi firma juvet, & prece Regis Hebræi
Fugare Martis agmina Thracas ad indomitos,
Optimus ut verbis mandavit Christus amicis,
*Afflicte mortalis meas expete supplicas,
Quum premit anxietaspectus: quum tristia sortis
Adversa inundant flumina, lubricus atq; sta-
Vnde tibi auxilium certo promittere possis (tus:
Sum solus & cœli domum post mala qui reserat:
Illic omne malum plausu cantuq; levato,
Ingentis agrimonie dulcibus alloquus.*

PARODIA XIV.

Ad Zoilum Carmina hæc improbantem.

Laudis adorea num tantam diffuderit imis
Opinionem sensibus
Carmina ut Ausonii numeros imitantia Flacci
Arente Vena scripserim,
Zoile subridens, occidis sæpe rogando.
Salus juventæ me juber
Inceptum quondam divini carmen Horati
Ad umbilicum adducere.
Non secus in pubis dicunt scripsisse salutem
Vatem Ienensem nobilem,
Qui numeros duplici testudine vertit Horati
Studio elaboratos probo.
Sperneris ipse miser. Quod si tibi promptus
Apollo
Inspiret aureum melos.
Gaude forte tua: me sudans Musa neque uno
Contenta mense macerat.

PARODIA XV.

*In Calvinianos Verba Institutionis S. Cœna glossis
suis depravantes.*

NOx erat & cœlo fulgebat Luna sereno
Inter minora sidera,

Cum

Cum tu, Christe, necem diram subiture, ad
amicos

Hos ore promebas sonos:

*Panis hic est corpus, Vinum meus est cruor illud,
Hac ferula vitæ sumite:*

*Cum Stygius lupus & sanctus infestus Avernus,
Turbabit infirmam fidem,*

*Conscia mensq; mali renovabit corde dolores,
Erat hoc amoris symbolum.*

O doliture tua multum *Calvine* Figura:

Nam Christus, ipsa Veritas,
Non feret ignotos potiori te dare sensus
Nec quæret in verbis Tropos.

*Nam semel effati remanet constantia Verbi
Et certus existit tenor.*

Et tu quicumq; es sapientior, atque tuo nunc
Superbus obstrepis Deo:

Sis catus & multa prægnans ratione licebit
Tibique Sorita fluant,

Nec te versuti fugiant arcana Sophistæ,
Linguaque vincas Nestora;

Eheu! errores tandem mœrebis atroces,
Ast veritas plaudet Dei.

PARODIA XVI.

Ad Germanos.

*Docet vera pœnitentia bellum & alias plagas
avertendas esse.*

Impia jam teritur bellis crudelibus ætas,
Suis & ipse Teuto viribus ruit,

Quem neq; Romani valuerunt perdere fortes,
Potentis & Augusti Cæsaris manus,

Æmula nec virtus Galli, neque Tartarus atrox,
Novisque regnis inhians Hispania,

Nec ferus infidis superavit Turca catervis
Fidelibusque abominatus Attila:

Impia perdemus devoti sanguinis aras:
Decusq; prorsus pristinum amittet solū.

Barbarus heu! cineres insistet victor, & urbes
Eques sonante verberabit ungula:

Quæque carent ventis & folibus ossa piorum
(Nefas videri) dissipabit impius.

Fortè quid expediat communiter aut melior
pars

Malis carere quæritis laboribus,
Nulla sit hac potior sententia : judæorum
Ut fecit olim exercitata gens malis :
Noxas atque nefas dirum, scelerataque facta,
Tristi reliquit & dolente pectore ;
Flere scelus quoque grande decet, quo Jova su-
premus

Iram remittat atque plagas mitiget.
Sic placet? an melius quis habet suadere? do-
lente

Placare Jovam quid moramur pectore?
Sed juremus in hæc : simul imis saxa volarint
Terris revulsa : nefas peccare sit?
Neu mandata Dei pigeat relinquare, quando
Dæmon olympi rexerit cacumina,
In styga seu celsus descenderit æthera Phæbus :
Oves lupisque junxerit crudelibus
Mirus amor: juvet ut griphes deamare caballos:
Patrocinetur & Jhova Dæmoni,
Credula nec sævos timeas mage turba Ty-
rannos,

Ametque Christi durus orcus dogmata,
Hæc & poterunt noxis obsistere fœdis,
Veniamus agmen expiatum creduli
Aut pars blasphemæ melior grege: (turpis &
exspes

Innominata tendat ultro in tartara)
Vos, quibus est Christus, funestum tollite bel-
lum
Et læsa votis expiate Numina.
Sic dabit omnipotens pacem Deus: optima
pacis

Petita dudum credulis dabit bona :
Ut reddat Cererem tellus subarata quotannis,
Et floreat generosa semper vinea :
Germinet & rarò fallentis termes olivæ,
Suamque pulla ficus ornet arborem :
Mella cavâ manent ex illice, vallibus imis
Fessos crepante limpha recreet sono
Incolumes simæ veniant ad mulctra capellæ

Re-

Referatque tenta grex amicus ubera :
 Nec vespertinus circum trux prædo vagetur,
 Nec extimescat arma militum domus.
 Pluraque felices miremur : ut enthea largis
 Cætus piorum verba capiat auribus ;
 Cælica nec falsis spurcentur dogmata glossis :
 Probante Rege nostra facta cœlitum.
 Non huc detonso contendant vertice fratres,
 Nec Jesuita astutus inferat pedem.
 Non hîc blasphemi veneretur lingua Photini,
 Periculosa nec venena Zvvinglii :
 Nulla piis noceant contagia : nullius hostis
 Reges ducesque terreat potentia.
 Arbiter illa piæ promittit tempora genti,
 Ut inquinatos rite mores corrigat :
 Arce dehinc cœli donabit secula, quorum
 Piis parata morte Christi sunt bona.

PARODIA XVII.

Oratio Ecclesia afflictæ ad Christum.

JAM jam efficaci do manus potentia
 Supplex & oro scepra per perennia :
 Per & Parentis sempiterna Numina,
 Per & cruorem vulnerum valentium
 Afflicta plagis liberare pectora ;
 O Christe, parce pluribus tandem malis
 Crucisque tristem pelle pelle turbinem,
 Movit Iehovam gens Hebræi suspiriis,
 In quam superbus ordinarat pondera
 Rex Pharaos : quamque in servitutem truserat.
 Videre matres Isaciæ addictum feris
 Alitibus atque canibus agmen Sanherib,
 Postquam relictis sedibus Rex procidit
 Hiskia supplex ad pedes summi Dei,
 Demissa duris liberare casibus
 Laboriosos incolas Bethulæ
 Olferne cæso vota : tunc mens & vigor
 Relatus atque notus in vultus honor.
 Dedi satis superque pœnarum tibi,
 Vexata bellis multum & infortuniis.
 Fugit juvenus & verecundus color

Reli-

Reliquit ossa pelle amicta luridâ,
 Meus capillus albus est angoribus,
 Nulla à dolore me reclinant tempora :
 Urget diem nox & dies noctem : neque est
 Levare tenta spiritu præcordia.
 Ergo negatam vincor ut credam anxia
 Benignitatem desisse Numinis,
 Iraque Jovæ dissipare gratiam.
 Quid amplius vis ? O boni fons, ingemo
 Quantum neque Hebræi constituta gens rubri
 Maris ad fluenta : nec Iudæa serviens
 Babylonio in ergastulo : Tu, dum cinis
 Injuriosis obrutus plagis cadam,
 Cales furore, Christe, non placabili.
 Quis finis ? aut quod me manet solatium ?
 Ah parce, fœdas dum misera pœnas fleam,
 Parata te placare, seu poposceris
 Cordis dolores : sive non dubia fide
 Voles prehendi ; tu benignus & bonus,
 Tu recreabis, Christe, pectus anxium,
 Infamis Hiskiaë Deum offensus puer,
 Petrusque magnæ audaciæ, rursus prece
 Veniam prioris impetrare criminis.
 Et tu (potes nam) solve me laboribus :
 O & paternis prædicare moribus,
 Et in periculis pauperum prudens Deus
 Vires dolosque dissipare noxios,
 Tibi anxium offert pectus & levat manus
 Tuusque cœtus sperat in te unum ; & tuo
 Cruore fœdas criminum sordes lavit,
 Vt cunq̃ue fortis imminet crudelitas.

Christi ad Ecclesiam Responsio.

HAud obseratis fundis auribus preces,
 Nec corda tangis surdiora fluctibus
 Quos corus alto tundit hybernus salo,
 Audacter ut tu spreveris cœlestia
 Mandata, sacrum & maximi cultum Dei ;
 Et impiorum particeps consortii
 Profane ut orbem nomine impletis meo :
 Sed proderit liquisse cœlestes domos

Christi.

Christumq; profudisse sanctum sanguinem,
 Ne tristiorate manerent funera.
 Afflicta mundo vita ducenda est in hoc,
 Novis & usque suppetis doloribus?
 Optat quietam sobolis Hebrææ pater
 Sortis benignæ semper Israel egens.
 Optatque Moses obrutus laboribus,
 Optat dolore liberari Apostolus
 In orbe pressus; sed vetant leges Dei.
 Plaudes modo altis translocata sedibus,
 Modo ore laudes Numinis canes tuo:
 Frustraque luctum pectori innectet tuo
 Fastidiosa sortis ægrimonia.
 Cessabit in te stygis & orbis inimici furor
 Mihique terræ cedit insolentia.
 An qui creare Dædalam orbis machinam
 Ut ipsa nosti, potui; rursus & poli
 Destruere fabricam vocibus possum meis,
 Possum crematos excitare mortuos,
 Crucisque amarum temperare poculum:
 Feram malos habere felicem exitum?

Carmen seculare

Pro Ecclesia & Reipublica Borussia incolumitate.

NAce supremi Patris & Mariæ,
 Creduli cœtus decus, ô colende
 Semper à cunctis, dato, quæ precamur
 Tempore tristi,
 Quo sacri Psaltæ monuere versus
 Virgines, matres, pueros, patresque,
 Cui placent semper pia vota, Iovæ
 Dicere carmen,
 Christe, Sol noster clypeusque, cœlum
 Qui reliquisti, puer atque nobis
 Natus es, posses genus ut favore
 Visere nostrum,
 Rite divinos aperire sensus
 Da sacerdotes & amare Verum:
 Da Sacramentis maneat sacratis
 Integer, usus.

Chri-

Christe, producas bona secla pacis;
Prosperes consulta super jugandis
Regibus pacisque novæ salubri

Lege Borussia.

Certus instantes iterum per annos
Ut tenor pacis referat quietem:
Quò tuas laudes canat ore grato

Prussica tellus,

Vosque Magnates sociate dextras,
(Nam satis belli est) stabilique pacis
Vinculo, bellis bona jam fugatis

Quærite fata.

Fertilis frugum pecorisque tellus
Spicca donet Cererem corona,
Nutriant foetus & aquæ salubres

Et Jovis auræ.

Conditò mitis placidusque telo
Supplices audi pueros Jesu:

Siderum Rex celse, preces & audi

Christe piorum,

Regius si mons tuum opus, Borussia

Orsa divini tenuère verbi:

Jussa pars mutare animos, nefasque

Supplice corde.

Cui per excelsum sine fraude cœlum

Christe, supremi Soboles parentis,

Liberum munisti aditum, dature

Gaudia cœli.

Da probos mores docili juventæ,

Da senecturi placidæ quietem,

Prussicæ genti bona cuncta redde

Et decus omne.

Quique te votis veneratur æquis

Bregela clarus Viadrinæ Rector

Imperet bellante prior jacentem

Victor in hostem.

Jam mari terræque negotiantes

Æquor indemnes peragrent solumq;

Jam Scythas dira arma petant superbos

Numinis hostes.

Jam fides & jus & amor pudorque

Pri-

Priscus, & Germana redire virtus
Audeat, pleno redeatque felix

Copia cornu.

Candor atque Astræa reducta cælo,
Veritas accepta Deo, & Camenæ,
Quæ salutari rudis arte pubis

Frigora pellant.

Si Borussorum videt æquus oras
Regij & montis pia vota Christus,
Asperum tollat meliusque clemens

Afferat ævum.

Quisque supremum tenet altus axem
Supplicum Rector gemitus virorum
Curet & votis puerorum amicas

Applicet aures.

Hæc Deum sentire Deique Natum
Spem bonam certamque domum reporto
Fretus & Christi bonitate & ejus

Dogmate sacro.



*Coronidis loco placuit adji-
cere Saturam, quam ante aliquor
annos ad imitationem primæ Juve-
nalis scripsi, in qua improbitas
juventutis scholasticæ
perstringitur.*

Semper ego aspiciam tantum? nunquamne
reponam

Vexatus toties pravæ improbitate juvætæ?
Impunè ergò mihi renovaverit ille dolorem,
Hic gemitus? impune iram commoverit exlex
Nobilis, aut speretis jam gaudens virgine libris
Pamphilus & barbâ nondum vestitus Aseiges?

Nota magis nulli domus est sua, quam mihi
ludus

Palladis, Aonii contemptumq; agminis antrum
In-

Indocto : Quid agant Reges quot fuderit hostes,
Tullius, unde ferox merces & devehat aurum
Hispanus, quantas Hollandia vicerit urbes:
Historici innumeri & conscripta volumina
narrant

Affatim, & accepto sparsi rumore libelli:
Exspectes eadem à summo minimoque poeta.
Nos aliquando manum ferulæ subjecimus,
& nos

Errati dedimus ludi poscente Magistro
Pœnas, nunc summa est petulantia ubique ju-
ventæ,

Si vero occurras, nemo vult pendere pœnas.
Cur autem pueris libeat decurrere calle
Per quem scurra gradus, vitiorum & flectit a-
lumnus,

Si placet, & sanam rationem admittitis, edam.
Cum tener attendit puer: ut mala lingua pa-
rentum

Quemque petat dictis, faciat convivia doctis;
Patricios juvenes opibus cum conspicit auctos,
Qui virtute graves quondã sprevere Magistros;
Cum condiscipuli monitus, cum fœda procacis
Facta adolescentis scholicis impune fenestris
Cogitat egressi, renuit parere Magistris,
Nec sufferre potest invisæ verbera virgæ.
Difficile est pueros bene ducere: Nam quis
iniquus

Censor non carpit ludum ludique Magistros?
Discipuli ad patrẽ nova cum querimonia fertur
Plena dolo, & post hunc firmat delator eandem,
Tunc cito, præceptor propter truculentiam a-
trocem

Dignus erit, quẽlatro timet, cui munera dentur
Carnificis, quoniam nequeat formare juventã.
Cum te subsannant, qui cum fœtore Lyceum
Linquunt, tu ingratosq; vocas puerosq; mali-
gnos,

Tunc via processus patefit, jus inque vocaris.
Sudores præceptor habet, sed præmia pauca,
Partes quisque suas facturum se pater inquit,
Cum natum adducit, mercedemq; annuit, & si
Disce-

Discedit; raro labente revertitur anno,
Sed Moderatorem, ludi spe lactat inani.

Quid memorē quantā siccum jecur ardeat irā,
Cum famam lædit tiro delator honestam
Infantis Monitoris? & hic damnatus iniquo
Iudicio (quid enim non indulgentia credit?)
Plebis inauditā causā, Dominis fruitur mox
Iratis: at tu victrix mala lingua plaudis.

Hæc ego non credam juvenalis digna lucerna?
Hæc ego non agitem? sed quid magis has ma-
lesanas

Et vanas nugas, aut garritum Corydonum
Et male ducentem pueros stolidumq; paren-
tem: (di

Cum vir defendat facta impia, quando premen-
Sunt pœnis pueri, doctus tractare Themistin,
Doctus & ad populum divinū spargere semen:
Nam fas esse putant pœnas differre juventæ
Quam bona commendant genitorum, quæ va-
let amplo

Majorum censu, licet ingerat ore procaci
Crimina falsa viris, queis ludi sceptrā tenentur.
Hinc puer excedens ludo, se jactat amicis
Et solet in medio sua facta referre pudenda.

Quadrivio cum jam spreto monitore vagatur
Hinc atq; inde ferox, petulanti dente laceffens
Et multum referens de præceptore protervus
Nugator, falsò qui se doctum atque beatum
Libertate sua & vix cœpta judicat arte.

Si occurrit præceptor ei, cui ferre salutem
Fas esset, caput haud nudat, defert nec honorē,
Sed potius, fannis hunc excipit atq; cachinnis,
Nec famam illius cessat maculare scelestus.

Aude aliquem mitrā pretiosā carpere rectum
Si vis esse niger: statim culparis & audis:
Patricios decorent juvenes Zobella, galerus
Crurales fasces, calcaria tinnula, braccæ:
Quid vestes taxare audeat præceptor, & alas
Quas non mercatur, quas ære parare parentes?
Si cultu induerer qualem præstare parentes
Æris & arca potest, auro decoraret & ostro?

Ex

Ex quo barbaries regionibus arte reducta
 Ex his Teutonicis cessit, viguereque linguæ,
 Paulatim cecidit quoque disciplina scholarum
 Et præceptori renuit parere juvenus.

Quicquid agunt homines, lusus, potatio, fastus,
 Crimina, contemptus, facta est farrago Lycei.

Nam quando uberior vitiorum copia? quando
 Major nequitiae patuit sinus? alea quando

Sic pueros? neque enim revolvit turbine, disco,
 Fictilibus pilulis, posito sed luditur ære.

Iurgia quanta illic ludo fallente videbis

Lusores! plagis non dignus, cingula, mitram,
 Perdere discipulus qui audet multosque tha-

leros?

Quis veterum hæc olim passus? quis crimina
 tanta

Concessit natis genitor? nunc non modò nummi
 Dantur filiolis, sed & excusantur iidem.

Namq; parens natibus nati timet, & trepida, ne
 Territus aufugiat, ludum librosq; relinquat.

Plura etiam accipies Puer à Monitore, ju-
 betur

Ut solvat caligas, meruit quia crimen & atrox
 Delictum: lue supplicium, da ob crimina

pœnas.

Mox libertinus puer excipit: haut ego solvam:

Cur ego jam grandis patiar me cædier? at si

Instat Præceptor; saltu mox ipse fenestris

Egreditur; nec facta negat, mendacia sed mox

Quadringenta parat, Monitori quid magis esset

Optandum, si Pierium ductaret in agrum

Hæc fugitiva parens animalia. sed quoniã plus

Stultus amor nati justo valet: ergo Magistri

Carpit sævitiam, ipsius nec parcit honori,

Nuper ut irrepsit nostrã hoc cacoëthes in urbẽ.

Nam quoniam inter nos petulantia discipulo-
 rum

Excusatores habet, etsi nemo videri

Vult talis, frustra pueros optamus honestos,

Disciplina pari ratione domestica frustra est,

In thalamo quando crepizat discordia semper,

Hinc

Hinc cum iudicium maturis advenit annis,
Tunc serò sapiens solet his rationibus uti:
Quid feci demens, quibus heu! puerilibus
annis

Consumsi tempus rebus? densissima mentem
Incultam caligo premit, vulgaria nescit
Languida, doctorum sed circumducitur arte.
Hic dolet absumptos nummos florente juven-

tâ,

(nam.

Ostendens vacuum caput arte ac ære crume-
Est mihi nil, inquit; senior mendico, quid ur-
get?

Discere nil volui & ludi parere. Magistris.
Sæpe puer frugi corrumpitur ordine rerum,
Sericeæ vestes, prætexta, togæque trilices,
Endromides fultæ primis gestantur in annis;
Filiolos cultus teneros exoticus ornat,
Cujus ad aspectum reliquos assurgere fas est.
E vivis abeunt veteres lassique parentes,
Et bona rellinquunt persæpe amplissima natis;
Spes nato expletur formosaque ducitur uxor,
Optima silvarum, terræ pelagique parantur,
Dum sperant nummi, torus exornatur & ædes,
Si cum tot pulchris & raris missibus, & tam
Regificis una comedunt patrimonia nati,
Hic nullus defectus adest. Sed quo manet usq;
Isthæc luxuries; brevis est gula, qui sibi tales
Apponit missus, agitât convivia lauta:
Pœna etiam præsens: mox hos deponit amictus
Squalidus, & laterû vestitum in corpore gestat.
Hinc seri gemitus & detestata juvenus,
It nova, nec tristis per cunctos fabula vicos,
Spernitur iratis talis decoctor amicis.

Vix erit ulterius quod nostris moribus addat
Posteritas; cum jam faciant cupiantq; minores
Omne scelus quodcumque placet: Perquire
Lyceum,


Totam urbem explora. Dicas hic forsitan, unde
Improbitas? cujus non audeo dicere nomen.
Quid refert verbis moneatur perditus, annon?
Castigas virgis, lictor plagosus haberis,

Qui

Qui fontes melius, teneram ac tractare juven-
tam

Novisti & summo vocitaris jure tyrannus,
Qui dedit ergo suo monitori damna, meretur
Promeritis poenis ferat omne impune piaculum.
Cum venies contra, generoso defer honorem,
Accusator erit, si verbum dixerit. Sic est
Ob crimen licet ignavum juvenemq; ferocem
Accuses: nato haut gravis est clementia Patris,
Sed multas quærit causas, & crimen obumbrat,
Si cultro stricto Monitori vappa scelestus
Occurrit (rubeat auditor cui libera mens est)
Criminibus pauci ut plectatur culpa, laborant,
Inde iræ & gemitus monitoribus. Ergo voluta
Hæc animo quemcunque vocat schola, serò Ly-
ceo

Solveris; expereris quid mundus conferat illis,
Quorum præceptis animi moresque reguntur.



Ad Virum Clarissimum

Dn. M. DAVIDEM

HOPPIUM,

Parodiarum Horatianarum

auctorem

Consobrinum suum,

μεσοφώνοις

M. JOH. MICRÆLII.

HOPPI, quem sanguis mihi
jungit avitus, & à quo
Jam Christum Flacci scis re-
sonare lyra:

Quid tibi pro sacro referemus, ami-
ce, labore

Fun-

Funderere qui Flacci discimus o-
re preces?

Quid Flaccus? Christi non noveras
ipse salutem:

Atq; ejus Christum verba no-
vata sonant.

Felicem te, si tua vivo, FLACCE,
dedisset

Hoppius hæc noster verba le-
genda tibi!

Nunc miscent, qui te non audis! Tu
tamen HOPPI

Musam infelicis sacra docere
doces.

Macte piis ausis: & carmina perge
profana

Versis in Christum sanctifica-
re metris.

SOLI DEO GLORIA,



PAR.



PARODIÆ

M. Justini Pertuchii, Ele-
ctoral. Gymnafii, quod Portæ
est, Rectoris olim meritissimi,
ex ejus Chronico Portensi
excerptæ.


*Anno 1601. in peregrinas abiit regiones IOHAN
GEORGIUS Dux Saxonie, Serenissimi Electoris
CHRISTIANI I. filius, quem prateruentem Mo-
teità ex Florilegio infecuta est PORTA,
hoc addito Voto, ex od. 3.*

l. 1. Horat.

Ad Equum Illustrissimi Ducis

JOANNIS GEORGII.

Sic te Cunctiporens Pater,
Sic proles Mariæ Virginis innubæ,
Sacratusque regat Favor
Mannum, qui tibi Creditum
Debes Ensiferi finibus Italis
JAN - GORGUM, Sobolem Magnani-
mam Ducis,
Reddas incolumem precor,
Et serves Patriæ Sidus amabile.



*Anno Christi 1602. ex peregrinatione in terram
patriam rediit Illustrissimus Princeps ac Domi-
nus, Dominus IOHAN GEORGIUS, quem POR-
TA absens, tanquam presens, subjectissimè
exceptit hac Odâ, adimitat. Od.*

36. l. 1. Hor.

ET voce atque animis decet
Plausu gratisono fundere carmina
Jovæ Tergemino Deo,

Qui

Qui nunc Italia mitis ab ultima
JAN. GORGUM Ducibus fatum
Priscis Saxonæ, Sidus amabile
Myforum reducem facit,
Et terræ incolumem dat patriæ: memor
Quod purus sceleris suam
Exegit Domini in lege puertiam,
Ne gressâ pueri notâ
Tam pulcer careat, tam roseus dies:
Neu sit lætitiæ modus,
Neu ingrata quies sit tibi Barbite
O clarum Myfiæ jubar,
O & præsidium forte Thuringiæ.
Optato reditu bea,
Quem multis abitus reddiderat modis
Tristem, dùm timuit, necem,
Ne tristes Hyadæ, vel rabies Noti
Ferret, vel domus horrida
Inferni strueret noxia plurima,
Intra propitius domos,
Quas dat Regum Rex Numine proprias,
Alba rara Fides Comes
Te velata colit veste, nec abnegat
Veri Religio DEI
Haud fucata tibi se comitem addere,
Pax tecum, & Sapientia
Adventent faciles. Gratia ponè eat.
Omnes in reducem Ducem
Deponant animos, nec Domini sui
Divellantur amoribus,
Dum rivo trepidat lympha fugax suo.

ANNO DOMINI M. DC. XI. CHRISTIANO II.
Electore Denato Gubernationem Electoralem
suscepit IOHANNES GEORGIUS Frater, cui
gratulatione tali occurrit PORTA, Ad
imitationem Odes 31. l. 1.

Od. 1. 18. l. 2.

Quid PORTA numen poscit Olympicum,
Dum JAN-GEORGUS nobile Saxonum
Sidus capit paterna regna

Ff

Ad

Ad superos abeunte Fratrem?
Frui paternis fascibus ô Deus
JAN - GEORGIO des: adprecor integrâ
Cum mente nec breves per annos
Degere, nec sobolis carentes.
Fac, sit cohorti præsidium piæ,
Et consulenti subsidium foro
JAN - GORGUS, & tutela præsens,
Quos foveo studiosa alumnis.
Non indecoro corpore sta puer.
Audire Magnum jam videor Ducem,
Et nostra certarum parata
Cum nece servitio Dynastæ,
Præcedit albis pol! Pietas equis,
Libros sacros Cornigeri viri
Gestans sinistra, nec benigna
Divi hominis monumenta desunt,
Pone Alma pulchra subsequitur Themis
Præcincta palla, nec comitem abnegat,
Seu vertat in Mysos caballum,
Thyrigerûmve revisat agros.
Quid? JAN - GEORGO Dia benignitas
Astat, popellis imperiosaque
Dat jura, & ascribit beatis
Sedibus, ô bene! JAN - GEORGUM,
O JAN - GEORGI Rutiger inclitis
Exorte Divis, sidere prospero
Apprende fasces, quos reliquit
Funereâ nece CHRISTIANUS
Non Saxo, Mysus, non Ego perfidum
Dicam sacramentum: Ibimus, Ibimus
Utcunque præcedes in hostes
Carpere iter comites parati.

*Anno 1594. adversa fuit Christianorum fortuna,
Turca superiore, & plurimos Christianorum in
Saxum fluvium agente. Unde ad preces conversa
Schola Portensis, sic ad Trinitatem: ad imi-
tationem Odes 2. lib. 1. Horat.*

JAM fatis terris Necis atque duræ
Sortis immisit Mahometus, altas

Dex

Dex

Ter

Secu

Om

Vidi

Ferr

Ire

Ergo

Aud

Gra

Sive

Chr

Ace

Sive

Que

Pax

Mit

Uni

Gen

Hic

Hec

In C

Ann

TAL

obvo

exec

Eg

ri

M

Dextera & sava jaculatus urbes
Terruit Hunnos,
Terruit mundum, grave ne redires
Seculum Titi, gladio furentis,
Omne cum Judæ genus egit atram
Visere mortem

Vidimus Sava fluvium retortâ
Ferre mortales violenter undâ, &
Ire dejectum monumenta Regum
Templaque Christi.

Ergo tu Numen Triados sacratum
Audias, quæso, veniasque tandem
Gratia clemens humeros amictus,
Conditor ævi.

Sive tu mavis Patris alma proles
Christe, quem Dæmon metuit Tyrannus,
Acer & Turci peditis cruentum
Vultus in hostem.

Sive tu tandem Patris atque Gnæi,
Quem juvant blandæ Charites, & alma
Pax, comas lauro redimita circum,
Spiritus alme.

Mitis in terras venias, sacrata
Unitas, dextramque feras benignam
Gentibus nostris, patiens vocari
Christiadum ultrix.

Hic agas magnos, Deus ah, triumphos,
Hec sinas Turcas equitare inultos:
In Getas ferrum rigidosque finge in-
cude retusum.

Anno 1598. in flumine Sala minoris, intra POR-
TAM propè molam inventus est infans pannis
obvolutus evehendus ad littus, cui pisciculi oculos
exederant. Ejus umbra sequenti die inter vota
est gemitus nostros ob pestem, conquerens de inju-
ria, et petens sepulturam fuit introducta
ad imitationem Odes 15. et 28. lib.

1. Horatii lamentando, et les-
sum faciens talem:

Mater cum daret, ah! me salientibus
Salaë pisciculis perfida filiam

Irato celerem me tulit ad sinum
 Vultu quo caneret fera
 Nereus fata: Mala perdis avi tuam
 Prolem, quam repetent Numina sanguine,
 Conjurata scelus pandere tam grave
 Et dura nece plectere.

Heu, heu! quantus adest Numinibus furor
 Iræ? quanta movet funera Carnifex?

En jam linteolum, jam rabidum canem,
 Gallumq; & natricem parat.

Nequicquam quia tectum latitat scelus
 Ornas cæsariem tuta coronula

Infantiq; viro basia dividis

Nequicquam, propior Neci.

Iracunda diem ducet adulteræ

Auctoriq; necis Numinis ultio:

Et tu fera tuum perfida adulterum

Guttur flumine compleas.

At tu præteriens, ne, rogo, parcito

Membris & capiti particulam dare

Nudato sabuli, sic tibi fluctibus

Oppressio Dominus manum

Tendet salvificam, Sin mea temseris

Durus verba gementi data pectore,

Tùm committere te grande nefas puta

Natis intolerabile.

Fors & debita te jura manent, vices

Et tales. Precibus non ego deserar

A RECTORIS inultis manibus poli

Nec te dissolvent sacra.

*Anno sequenti 1599. dimissus cætus cum quinque
 discipuli dysenteria correpti diem obiissent, sea
 paulò post in Novembri revocatus ita salu-
 tavit PORTAM, adimitat. Odes*

19. lib. 1. Horat.

Naturæ Pater optimus
 Iessæque juber me Mariæ Puer
 Et trino ordine tertius
 Salanis animum reddere amoribus.


Ur-

Urget Gymnasii nitor
 Splendentis Pario marmore purius.
 Urget grata Sodalitas
 Sensusq; in studiis unanimes piis.
 In me totus amor Scholæ
 Surgit, nec patitur cernere amabilis
 Ædes ulterius Patris.
 Nec, quas continuas frater habet domos,
 Hic vivum mihi Teucrium,
 Hic mi grande apium ponite, ponite,
 Sanctis in precibus mihi
 Effusis veniet cunctipotens bonus.

*Nos pro salute revertentium jam discipulorum
 s. Novemb. ita ad Salvatorem, ex
 Oda. 35. lib. 1. Horat.*

O Dive, clarum qui regis æthera
 Potens vel imo tollere de gradu
 Mortale corpus, vel superbos
 Vertere funeribus lacertos,
 Te pauper ambit sollicita prece
 Cultor Camænum, te Dominum, Scholam
 Quicumque Portensem frequentant,
 Aut patriis resident in oris.
 Immitiori ne pede proruas
 Surgentis aura propitia Scholæ
 Lapsam columnam, ne juvenus
 Barbariem malè cauta discat:
 Te semper anteit diva Benignitas
 Clavos trabales, & cuneos manu
 Gestans, quibus te Iacobæa
 In cruce posteritas ligavit.
 Te semper albo vera Fides colit
 Velata panno, nec comitem abnegat,
 Urcunque mutata maligni
 Mente trahat malevadus error.
 Serves juventam, quæ redit ad sacros
 Phœbi liquores, & puerum recens
 Examen Eois timendum
 Partibus, Oceanoque rubro.
 Quæ bellicosus Cantaber & Scythes,

O Dive, tentat per mare Creticum,
Tradas protervis usque ventis,
Ne pueris valeant nocere.
Eheu nefastus nil finit integrum,
Non parcit aris. Tu modò ahenea
Incude distringas recusum in
Massagetis Arabesque ferrum.



PARODIÆ
HENRICI MEIBOMII
Poët. Cæs. & in Acade-
mia Julia Prof.

PARODIA AD ODEN. IX. LIB. III.
AD ISRAELEM.

*Jova & Israël colloquium de fœderis inter-
rupti renovatione.*

- ISR. **D**onec cultor eram tuus,
Nec quisquam melior suavibus
hostias
Delubris populus dabat:
Externis vigui tutus ab hostibus.
- IO. Donec non alii magis
Credisti, neq; erat post Baalem Jova
Mentis propitiæ Jova
Æquavi sobolem syderibus tuam.
- ISR. Me nunc verpus habet Baal,
Patronus veteris Samariæ potens:
A quo subsidium petam,
Si fines subigent Assyrii meos.
- IO. Me quærunt prece supplici
Cœlestis inopes luminis Ethnici:
Quos non projiciam foras,

Si vocem audierint morigeri meam,
ISR. Quid si lapsa redit fides,
 Divulsosq; novo foedere copulat?
 Si templo ejicitur Baal,
 Neglectoq; litant Pontifices Jovæ?
IO. Quamquam lenior Ethnicis
 Mens est: tu cuculo peior, & asperis
 Inclementior anguibus.
 Te flagranter amem, te foveam li-
 bens.

PAROD. AD ODEN. XII.

LIB. III.

AD CANULEIUM.

NEbulonum est neque canos revereri,
 Neque morem sapienti gerere: aut ex-
 stimulari sitientes teneræ præmia laudis.
 Tibi mentem Ebrietas insidiosa
 Tibi sensus, pietatisq; severæ
 Studium aufert Canulei meretricis furor ex-
 cors:

Fera turpis Libyca tigride peior,
 Neque Divos, neque leges veritura,
 Simul iras rabioso celeres colliget ore:
 Eadem astu cata tecto sceleratos
 Animi æstus furiasq; oculuisse: &
 Vafro collo juvenili laqueos injicere acres.

**ALIA PARODIA AD
 EANDEM ODEN.**

Comedonum est neque sacris dare tempus,
 Neq; mores viciosos fugere: aut ex-
 tenuare fremebundi Phlegetontis grave sulfur.
 Mibi curam Cytherea stimulantis,
 Mibi lusus, generosiq; Lyai
 Studium aufert redituri facies ac tuba Christi:
 Mediator pietatis memoranda,
 Neq; culpam miserorum nece plectens,
 Simul orbis resipiscens sua deflet malefacta:

Ff 4

Græ

*Gravis idem sceleratis, quibus omnis
Perit aetas sine Vera pietate: Et
Celer Orco dare turpi maculatos lue Ventres.*

ALIA AD EANDEM.

Seniorum est neque amor dare tempus,
Neque libare jocosæ Veneri, sed
Tetricam frontem imitari rigidum velle Ca-
tonum.

Mihi libros Ericynæ puer ales,
Mihi cartas, operosæque Themistos
Studium aufert roseo diva nitens ore Melissa:
Helena fulgidior cygnigena, non
Hominum ulli, neq; cessura Dearum.
Simul altæ decus insigne volet pandere frontis
Eademmet rutilanti cata ocello
Penetrantes jaculari radios: &
Juveniles latitanti face flammare medullas.

*Martinus Chemnitius
Ficus.*

PARODIA AD ODEN IV.

LIB. EPOD.

IN MALLEUM IESUITAM.

Flammis, & undis quanta sortitò obtigit,
Tecum mihi discordia est.
Liquoribus peruncte mysticis caput,
Et ora tonsa forfice.
Licet proteruus turgeas scientia,
Doctrina non tollit scelus.
Videsne, sacram personante te domum
Clamore rauci Stentoris,
Ut ora vertat huc & huc euntium
Acerba detestatio?
Inter rebelles imus hic apostatas,

Hono-

Honoris ob fastigium,
 Damnat paterni sancta raris dogmata,
 Et Antichristo supplicat,
 Subsellisq̄ue crassus inprimis pater
 Iova abnegato confidet.
 Quid attinet tot evibrari fulmina,
 Vi roborata cœlite,
 Contra pudendam Romulæ fœcis manum,
 Hoc hoc quieto transfuga?

PAROD. AD ODEN. X.

LIP. EPOD.

IN IOHANNEM CASELIUM.

VEloxi secundo currus exit omine
 Ferens senem Caselium.
 Ut alites utrumque muniant latus
 Memento Christe nuncii.
 Lenis madentes aura differens nives
 Fortes caballos recreet.
 Sol spargat ignem, qualis exorto cane
 Lustrat tepentes flosculos.
 Nec sidus ullum nocte lumen occular,
 Dum nectit in via moras.
 Tenaciore nec fruatur hospite,
 Quàm cœlitus missi duces,
 Quum Iova sulfur & nigram pluit picem
 In arva turpis Sodomæ
 O quantus instat barbyto favor tuæ,
 Tibiq̄ue fama nominis,
 Et illa non cessura gratulatio,
 Plaususq̄ue pubis IULIÆ.
 Cœcropius arte cum superbiens gravi
 Sermo cathedram mulserit.
 Elmana quòd si tecta sospes & malo
 Protectus omni videris:
 Adoriosa prædicabitur chely,
 Et ore grato Trinitas.

PAR-

PAROD. AD ODEN. XIII.

LIB. EPOD.

AD COLLEGAS,

Lurida barbaries studiis incumbit, & artes
Legesque depravant mali.

Nunc fora, nunc cathedræ
Degeneri ardore flagrant, reprimamus amici
Molitiones hoc die:

Dumque furor novus est,
Et minor, ostensa moneatur fraude juvenus,

Tu scripta volve Dædala

Edita in urbe Remi:

Cætera trade rogo: Deus hæc fortasse venena
Fugabit ultra Sarmatas,

Nunc & Apollineos

Scrutari vates juvat, & laticæ Arpinatî

Rigare labra putridos

Non bibitura lacus:

Scaliger ut docili cecinit divinus Ephebo,

Cultor Poëtices, novem

Dedite Virginibus,

Te decet eloquii nectar, quodlympida gentis

Fundunt Achææ flumina,

Tibris & Ausonius.

Unde tibi laurum æterno cum nomine Phœbus

Concedet, & mons hospitem

Phocidis accipiet.

Illic attonitus nulli spectata videbis,

Hymnosque nympharum adhibes

Mollibus auriculis.

PARODIA AD ODEN XXIV.

LIB. I.

AD JULIAM ACADEMIAM

de fundatoris obitu.

Quis desiderio sit pudor, aut modus
Tam miris domini? dicite flebiles

Can-

Cantus Juliades, quis sacer hic senex
 Vitam atque hospitium dedit.
 Ergo Guelfiaden lehiser abstulit
 Morbus? cui Pietas & Themidos soror
 Inculpata fides, Paxque benignior
 Haud unquam invenient parem.
 Multis ille scholis flebilis occidit;
 Nulli flebilior quam tibi Julias.
 Tu frustra, heu, superos tam citò mortuum
 Poscis Guelfiaden prece.
 Quod si delitias orbis, & omnium
 Promittas reditus sceptraque gentium?
 Non hujus subeat tecta habitaculi,
 Quem dextra semel aurea
 Non segnis domini jussa capeffere
 Cœlis intulerit nuncius aliger.
 Durum: sed miseris spem similis boni
 Successor pius excitat.

PAROD. AD ODEN. XXV.

LIB. I.

AD PAPAM.

Parciùs colles adeunt Latinos
 Gressibus junctis homines remoti?
 Nec tibi census cumulant: viderque
 Somnia vulgus
 Quæ priùs multum proceres movebant
 Credulas, audis minùs & minus jam?
 Tu tua nobis aperito clavi
 Curio cœlum.
 Invicem reges miser efferatos
 Flebis ablato violenter auro,
 Italas grassante iterum per urbes
 Milite nostro:
 Quum tibi serus pudor, atque curæ,
 Quæ solent pravas cruciare mentes,
 Sævient circa cor inebriatum,
 Non sine luctu:
 Teuto quòd prudens pietate castz

Gaudeat, turpi magis atque fuco:
 Italas fraudes sceleris parenti
 Destinet Orco.

PARODIA AD ODEN. XIX.

LIB. II.

AD PHOEBUM.

PHœbum in sonori margine fluminis
 Vidi gementem (credite Principes)
 Musasq; plorantes, & aras
 Pieridum propè dissipatas.
 Eheu, dolendam mens lacrymar vicem:
 Plenoq; luctus pectore plurimùm
 Tristatur eheu, parce Phœbe,
 Parce, sacrâ venerande lauro.
 Fas insolentes est mihi regulos,
 Vulgiq; sordes, artis & inscios
 Culpare cives, atque priscos
 Insuper recitare mores,
 Fas & profusos dicere Cæsares,
 Largosque reges, factaque Cilnii,
 Cantata non vili Camœna,
 Munis Amyntiadæque pectus.
 Tu condis urbes, tu socias domos:
 Tu congregatis pervigil in scholis
 Doctrina inescas liberali
 Ingenuam sine labe pubem.
 Tu cum sepultis degener artibus
 Error cathedras scanderet illices:
 Dirum repressisti furorem
 Eloquio fidibusque blandis:
 Quamquam triformem vincere belluam,
 Et arrogantes frangere spiritus
 Impar ferebaris: sed idem
 Victor eras domitorque monstri.
 Te laudat exlex Sarmata, te Ligur
 Gallusque & invisi horrida Concani
 Prolet adorat, te veretur
 Teuto potens, gelidusque Cimber,
 PAR-

PAROD. AD ODEN. III.

LIB. IV.

AD BARBARIEM.

QVem tu Barbaries semel
 Nascentem Stygio flumine merferis,
 Illum non lepor Atticus
 Æquabit Lyfiæ: non chelys Appula
 Versu tollet amabili
 Cantorem, neque vox Mœonidæ senis
 Umbratum foliis caput.
 Quòd regū stomachos prodiderit graves
 Adscribet melioribus:
 Sed qui virus iners Chærilus evomit,
 Et cartæ Volusi leves
 Reddent insipidis vocibus absonum.
 Turcæ Dæmonis alteri
 Conatur rabies Tuisconis in sacros
 Introducere te lares:
 Et jam culpa magis proximat effera.
 O stribliginis horridæ
 Diram quæ saniem bellua procreas:
 O castis quoque varibus
 Aspersura minax si liceat nefas:
 Totum criminis hoc tui est,
 Quòd languet furiis desipientium
 Doctrinæ veteris decor:
 Quod te odi, & caveo (si caveo) Dei est.

PAROD. AD ODEN. X.

LIB. IV.

AD HELLUONEM.

OSecurus adhuc, & brevibus delitiis madens,
 Insperata tuæ cum veniet pœna proterviæ,
 Et, qui nunc animum præcipitat, desierit furor,
 Nunc &, quod vacuum est cor trepido supplicii
 metu

Mu-

Mutatum Furiarum scuticas & flagra senserit :
 Dices, heu (quoties te barathro videris obru-
 tum)

Quæ mens est hodie, cur eadem non fuit antea?
 Vel cur ex piceis gurgitibus non reditus datur?

PAROD. AD ODEN. XV.

LIBRI IV.

LUTHERI LAUDES.

PHœbus parantem grandia me loqui
 Regumque stirpes, admonuit, lyra :
 Ne ponderi cervicem iniquo
 Subjicerem, tua, sancte, virtus
LUTHERE, abusus sustulit impios :
 Et verba summi restituit Jovæ,
 Purgata larvarum malignis
 Sordibus : & vacuos pudore
 Cultus Maosim pressit, & obicem
 Firmum impianti cuncta libidini
 Impegit, excusitque labem?
 Et veteres renovavit aras :
 Per quas Jehovah gloria & integri
 Crevere cœtus, purior & fides
 Invecta delubris ab ortu
 Solis, ad Hesperium cubile.
 Sarto Lutheri deposita, Scholas
 Non inquinabit degener hæresis :
 Non schisma, quod committit aulas,
 Et socias inimicat urbes.
 Non qui Dagonem Romuleum colunt,
 Sincera stinguent dogmata : non Iber,
 Non Moscus, immanesve Turcæ,
 Non Satanæ rabies furentis.
 Nosque & profestis lucibus, & sacris,
 Cœlestis inter laudis adoreas,
 Cum liberis castisque nuptis.
 Rite prius scelere expiati,
 Stratum potentis voce Dei Papam,
 Tonsosque ventres, & lemorum gregem
 Damna

Damnabimus, nec gloriosi
 Immemores erimus Lutheri,

PAROD. AD ODEN. XXXV.

LIB. I.

AD VENEREM.

O Quæ beatam Diva tenes Cypron,
 Præsens venusta progenie domum
 Augere nostram, vel pudicæ
 Spem sobolis inhibere matri?
 Te semper ambit sollicita prece
 Virens Ephebus: te dominam tori,
 Quæcunq̃ue sub cura fideli
 . Matris adhuc agitat puella,
 Te miles acer, te carus hospitiæ
 Alumnus urbis, nautaq̃ue pervigil,
 Casæq̃ue viles rusticorum, &
 Magnificæ venerantur aulæ:
 Fastidioso ne pede deseras
 Novos amores, neu populos recens
 Igni calentes tædiosæ
 Dejiciant iterum repulsæ.
 Te semper anteit Hymen amabilis
 Flores Sabæos, & faculas manu
 Quassans niventi: nec Cupido
 Cæcus abest, juvenisque Liber.
 Tecum Voluptas & Charites eunt
 Myrto revinctæ: nec latus abnegant:
 Utcumque Sponsorum penates
 Omnibus subis auspiciis,
 At Rixa discors & petulans retro
 Cedit similtas: diffugiunt minis
 Cum lite projectis furores
 Damna piis dare pertinaces,
 Adsis paranti sacra MŌNAVIO,
 Tædisq̃ue faustis: nocte jugalibus
 Vinculis amantes, & pudicæ
 Progeniem domui ministra.

Ehew

Eheu ! dolorum & mœstitiæ satis
 Curaque, quid non vita tulit mali
 Cælebs ? Inexpertum superstes
 Quid precor ? unde rei levamen
 Non flagitatum propositæ ? preces
 Num conquierunt ? ô utinam novos
 Subinde constringas amantes
 Præsidio superûm beatos !

F I N I S.



410 ²⁹
—
218

X 26075 28

VD 17



Inches

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12

13

14

15

16

17

18

19

20

21

22

23

24

Centimetres

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12

13

14

15

16

17

18

19

20

21

22

23

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

PARODIÆ 2
IN
LIBROS

ARUM ET EPODON
HORATII FLACCI RE-
S SACRIS MAXIMAM
PARTEM ACCOM-

MODATÆ

à

DAVIDE HOPPIO,
in. Pomer. Scholæ Palæopoli-
næ Regii-Borufforum-mon-
tis Pro-Rectore.

*jecta est in fine Saturæ
simæ Juvenalis imitationem in
iuventutis scholasticæ improbita-
tem conscripta.*

fferunt etiam Parodiæ ali-
M. Justini Pertuchii, Gymnasii
nsis Rectoris meritissimi, ut & Henrici
Meibomii Prof. in Acad. Julia
celeberrimi,

In Zoilum

e, dum carpis mutatum carmen Horati,
omus es; hoc melius confice Mimus eris.

✂ (o) ✂

BRUNSVIGAE,
bis ac sumtibus Christophori
Friderici Zilligeri.

ANNO M DC XC,